



LX II 72.
BIBLIOTHECA
REGIÆ
CANONIÆ
STRAHOV
PRAGÆ
BOHEMIÆ


BIBLIOTHECÆ STRAHOVIENSIS.



THESES MEDICÆ
DE
Truculentiſſima, furibunda, & Inſatiabili
Populoſiſſimas Urbes, & Regiones
in ſolitudines, & deſerta transmutante
Bellua
PESTE ſeu PESTILENTIA
QUAS
Sub Glorioſiſſims Auſpicijs
Sacratiſſimi, Auguſtiſſimi, & Invictiſſimi
Romanorum Imperatoris
JOSEPHI I.
Germaniæ, Hungariæ, & Bohemiæ
REGIS POTENTISSIMI
In Magna Aula Carolina Almæ Cæſ. Regiæq;
Carolo - Ferdinandeæ Univerſit: Pragenſis.
SUB RECTORATU
ADMODUM REVERENDI AC EXIMII
Patris
P. JOANNIS MILLER,
è Societ: JESU, SS. Theologiæ Doctoris,
Cæſareo - Academici Collegii S. J. ad S. Clementem, Vetero-Pragæ, nec non Univerſitatis
Carololo-Ferdinandeæ Pragenſis p. t.
RECTORIS MAGNIFICI



SUB DECANATU & PRÆSIDIO

Perillustris, Generosi, Clarissimi, ac Excellentissimi Viri

D. JOANNIS FRANCISCI LÖW

S.R.I. & Provinciar: Hæreditariarum Equiti ab Erlsfeld, Phil. J. U. & Med: Doct: ejusdem Universitatis Praxeos, Professoris Primarii, Reg. Publ. ac Ord. Sac. Cæs. Regiæq; Maj. Consil. Sac. Later. Palatii, Aulæque Cæs. Comitis, & Medici, Inclytæ Fac. Medicæ Senioris, & p. t.

SPECTABILIS DECANI ANNUENTE

Nobilissimo, ac Amplissimo, Excellentissimæ Facultatis Medicæ Collegio

Pro suprema Doctoratûs Medici Laurea

Publicæ disquisitioni exposuit,

Nobilis ac Doctissimus Dominus

ALEXANDER ANTONIUS IGNATIUS SCHAMSKY, Moravus Miloticensis AA. LL. & Philosophiæ Doctor Medicinæ Candidatus, & Metropolis Olomucensis Resolutus Physicus.

Anno M. DCC. X. Mense Decembri Die 11 horis post meridiem consvetis.



VETERO-PRAGÆ,

Typis Barbaræ Franciscæ Beringerin. Per Mathiam Seissenhoffer.



BIBLIOTHECA STRAHOVIENSIS

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



HONORI
ET
VENERATIONI
PRÆNOBILIUM, GENEROSORUM, CLARISSIMORUM, CONSULTISSIMORUM, AC AMPLISSIMORUM DOMINORUM

DOMINI
CÆSAREI JUDICIS
DOMINORUM
CONSULUM
DOMINI
JUDICIS
ET

DOMINORUM SENATORUM

AC

Universi spectatissimi Inclytæ Julio-Montanæ, Cæsareæ, ac Regiæ Metropolis Olomucensis in Marchionatu Moraviæ.

MAGISTRATUS
DOMINORUM, AC MECOENATUM OBSERVANDISSIMORUM.

Prænobiles, Generosi, Clarissimi Consultissimi ac Amplissimi DOMINI.





Ovitérne mihi cum libitina succrescit negotium? An non vobis Galeni Diviniores Divi Cosma & Damiane, ob singulare, pro vita humana sub furore mortis procidua, subsidium, quo veluti Excellentissimi Alexandri contra libitinæ audaciam arma prehendentes, eam fortunatissimè protrivistis, præliantes fortiter, insigne triumphi decus, decoris perennitatem, perennitatis lauream vobis adsciscentes, ad confusionem etiam fastigiatarum pyramidum Babylonicæ Mempheos pompæ, vobis à Facultate Excellentissima, Universitatis Antiquissimæ & Almæ meæ Matris Carolo-Ferdinan-

dinandeæ, in ponte Prageno ædificatum Trophæum immortale? à me verò in Teinensi Basilica svada licèt facinoribus vestris longè inferiore justè positum fuisse demonstratum? An inquam cum atrocissimo, sed jam devicto, humani generis hoste denuò mihi ineundum certamen? Sic est. Hæc jussa vestra sunt *Viri Prænobiles, Generosi, Clarissimi Consultissimi & Amplissimi*, qui eodem Decreto & Civitatis vestræ Physicum, & Libitinæ Antagonistam, me licèt indignum voluistis, datâ mihi inviolabili professionis & nunquam sperandæ pacis tasserâ aut *certare* aut *mori*. Sed quid audio? refricat noviter in circumsitis Regionibus pugnas Libitina & quidem humanæ vitæ pestilenter nocivas, hæc ipsa, quæ ante annum foederata Diocletiano occubuit, hydra resurgens Pestilentiæ juncta attrocissima condit latrocinia. Jam verò si Gradivi duo Cælites, cælestes Hercules, Divi Cosmas & Damianus non omnia immanis belluæ capita irrepullulabiliter præscindere & ruderibus contumulare poterant, quid à me unico expectatis? statuerant Divi illi Tutelares bellum inter homines disrumpere, bellum inter DEUM & homines solâ misericordiâ terminandum, misericrodiâ precibus armatis non devincenda, sed devin-

cien-

cienda eſt. Duplex igitur mihi cura ſupere: periculum quod natura ſuppetit artis præc ptis, ſed mors deſuper ſtatuta forti patrocin debellanda. Habet hoc præcæteris felix O lomucium, habet Divam Libitinæ Detrium phatricem, Patronam Metropolis & Reipu blicæ Conſervatricem PAULINAM. Ill etenim eſt, in qua Libitina Annô 1680. peſti ferè graſſans lapidem invenit offenſionis, qu ejus inſultum, hunc in modum infregit, u propè univerſi in urbe Veſtra immunes con ſervarentur, licet ferociſſima Lues circaci cum in ſuburbijs ſuam exerceret tyranni dem.

Arma itáque mea, quibus immanem hanc belluam oppugnare intendam, huju conjungam precibus, Patrocinio ſubſternam ſed & Veſtræ Protectioni, ſpe fretus maxima demiſsè ſubjicio, pagellas haſce, hodie publi cæ oblaturus diſquiſitioni, ſubveſtræ Gentil tiæ Aquilæ alas recondo, vobísque eas in qua lem, qualem gratitudinis teſſeram humillim offero. Piaculum etenim foret, eos laborum ſuorum umbonem non ponere qui Patres nu tritij, ſtudiorum Patroni, fortunæque creato res mihi fuêre.

Proinde *Viri Prænobiles, Generoſi, Clariſ ſim*



ſimi Conſultiſsimi ac Ampliſsimi opellam quadriennalis ſtudij mei Medici nunc Doctorali claudendam laurea in æviternæ gratitudinis ſuſcipite mnemnoſinon, & me ulterioribus gratijs & favoribus proſequi non dedignemini. Qui ſum, maneo & emorior.

Prænobilium, Generoſarum, Clariſſimarum Conſultiſſimarum ac Ampliſſimarum Dominationum Veſtrarum

Obſequioſiſſimus Servus

Alexander Schamsky, Phil: Doct: Med: Candid: & Phyſicus.

CENSURA.

HAs Theſes attentè perlegi, qu[...] judico cum Licentia & Auth[...] ritate Magnifici Domini Rect[...] ris imprimi poſſe. Dabam è Muſa[...] 8. Novemb: Annô 1710.

JOANNES FRANCISCU[...]
Löw Eq: ab Erlsfeld, p[...]
Fac: Med: Decanus.

Imprimantur

JOANNES MILLER S. J.
p. t. Univerſ: Rector.



AD

Nobilem ac Doctissimum Dominum Defendentem D. ALEXANDRUM SCHAMSKY.

ECqVID In haC peregrIna hoDIe prætenDIs arena?
PaCéne proſtratâ beLLa MoVere ſtUDes?
HIC, UbI ſtas, DIgna eſt ConſtantIs MartIs arena,
Serta InIbI DoCtUM nobILItare soLent.
AtqVe DIU sUppreſſa IbI Mens eXsUrgIt In aLta,
Et tYroCInIJ ſæVa rUbēta rUUnt.
EJa qVID hoC! te Cerno ſerIs ornarIer arMIs?
Martes aſpeCtU Cerno ſeDere tUô?
SeD CUr? Vaſtantes, an Mens eſt toLLere peſtes?
AUt tYroCInIô CeDere JáMne paras?

SIC

sIC est. te tYroCInIJ arCta Corona reposCIt;
Te Contra pestes PatrIa In arMa CIet.
FaC tYroCInIJ CUrsUs (COMpLUrIbUs UsqVehUC
AUsIbUS ILLUstres) fIne beato parI.
NeC tUa Vota VIgIL VeXabIt MUsa; LaborIs
NeC faLLent feLIX CVra, operæqVe sCopos.
PUgna aUDaX. PatrIæ IoVIs aLes fULMIna In hosteIs.
VIbrat & eXponIt LaUrea serta tIbI.
PræsIDIa aUDaCIs LæterIs aDesse LeonIs
BeLLo. & te DoCtô Marte foVere sUô.
Non tarDa: Lætæ neC sUbtrahe teMpora LaUro,
arbore perge tUas ConDeCorare ManUs.
InsIgnes MeDICInæ Intra noVe athLeta phaLanges,
InsIDósqVe neCIs DebILItato DoLos.
JUngItor eXCeLso Pragæ In CoLLegIo, & hUJUs
AUgUstos tItULos MULtIpLICato VIgIL.
PUgna aUDaX, faUstè VInCas, LætUsqVe trIUMpha,
InstantI & patrIas erUe peste tUas.
Hæ tUa sUbsIDIa aspIrant, repetUntqVe JUVaMen
VItæ ContrIbUUnt IpsáqVe fILa tIbI.
Pergas aC gratUM patrIJs te ostenDIto, & ILLIs:
FaC MerItIs VItæ gratIfICare Datæ.
At noLI fraUDes LabYrInthI horresCere; staMen


JaMI

JaM PaULIna tIbI eLeCta ArIaDna feret.
CresCas InsIgnes aD honores NUMInIS, artIs
LaUDes, In patrIJ noMIna Cara soLI.
Perge, opto, prosper CUnCtos seCtante Labores
GLorIâ, & aCCresCant noMIna In orbe tIbI.
Ergo perge neC eX spIssa stYgIs ebrIUs UnDa
AUXILIJ nobIs rUMpe negáqVe VIas.
Perge & aMICItIJs non Detrahe pabULa LætIs
NeC MIhI DIspersI toLLe faVorIs opes.
HUCUsqVe enIXos (non Vera negabo) faVores
TU MIhI DetULeras UberIore sInU.
TU raDIJs prIMas per Cæpta bIennIa noCtes
ILLUstrâstI aptIs, CorrepetenDo MIhI.
GratUs ego obseqVIô reManebo, tUIqVe re-
CorDans,
EXhILaret Vegetas VIta qVoUsqVe fIbras.

Itâ CharIssIMo sUoD. CorrepetorI
& D. CoLLegæ eX aMore

Ioannes KaMenICzkY
optat, DICatqVe.

M. D. C. L. X. V. Y. I.
1000. 500. 100. 50. 10. 5. 2. 1.



PROTHESIS
De Peste in Genere.



Ommissi à Protoplasto humani generis per transgressionem mandati Divini in Paradiso sceleris, hæreditario quasi jure hæredes legitimi sensêre reliquias,ità ut à mandatorum Divinorum legitimo tramite, congenitâ quâdam malitiâ deviantes, in omnia vitiorum genera se præcipitaverint, ut Omnipotentem Creatorem pœnituerit fecisse creaturam de terra. *Videns autem DEUS* (ùt sacer habet Codex, Genes. 6. v. 5.) *quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset de terra. Et tactus dolore cordis intrinsecùs, delebo, inquit, hominem quem creavi à facie terræ, ab homine usque ad uni-*

animantia, à reptili uſque ad volucres cœli, p[illegible]
nitet enim me feciſſe eos.

Solus ex univerſi generis humani ſobo[illegible] Noë vir juſtus invenit gratiam coram DE[illegible] cui præcepit DEUS ut ſibi faceret arcam [illegible] lignis lævigatis, manſiunculas in ea, & bit[illegible] mine oblinirer eam intrinſecùs & extrin[illegible] cùs, ut intolerabilem mortalium iniquitate[illegible] aquarum cataclyſmo ulturus, novæ generat[illegible] nis humanæ, conſervarentur ſemina per eu[illegible] Factô enim diluviô ſuper terram conſum[illegible] eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper ea[illegible] volucrum, animantium, beſtiarum, om[illegible] úmque reptilium, quæ reptant ſuper terra[illegible] Univerſi homines, & cuncta in quibus ſpi[illegible] culum vitæ eſt in terra, mortua ſunt. R[illegible] manſit autem Noë, & qui cum eo erant in a[illegible] ca.

Verùm decreſcentibus aquis, egreſsô N[illegible] de Arca, ædificatô Altarî, & oblatô holoc[illegible] ſtô, placata eſt ira DEI in tantum, ut fœ[illegible] iniret cum creatura Creator, cum manci[illegible] Dominus, ſpondens: Nequaquam ultra m[illegible] ledicere terræ propter hominem, & neq[illegible] quam interficietur ultra omnis caro aquis [illegible] luvij. *Arcum* (ait c. 9. v. 13.) *meum ponam* *nubibus & erit ſignum fœderis inter me & in* *terram.* Verùm, inquam, vix bened[illegible]

DE[illegible]

DEUS Noë & filijs ejus, jam noviter malitia *de Cham* prodijt: *Quod cùm vidisset* (inquit S. Scriptura cap. 9. 2. 99.) *Cham Pater Chanaan, verenda scilicet Patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.* Quæ malitia filij! paulò antè à DEO benedicti. Evigilans autem Noë ex vino cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: *Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis.*

Ast crescente propediem hominum multitudine, & pari passu malitia eorum invalescente, recordatus fœderis sempiterni, nè prorsus interimeret universos, alia ijs flagella secundùm enormitatem delictorum constituit DEUS, quibus post diluvium malevolas, refractariásque mentes corrigeret & castigaret, nempe *Bellum*, quô superbiam; *Famem*, quâ insatiabilem hominum avaritiam; & *Pestem* omnium fœdissimam luem, quâ mortalium luxuriam domaret. Quis enim dum

Pestis sævit atrox: Ipsâ hæc quâ vivimus aurâ
Plena venenata nos necat aura lue.
Hæc subitò cunctas febris occupat ignea venas
Inque rubente tument, toxica sæva cutè.
Quis quemcunque timet, Pylades procul adstat Oreste
Et Pater à natis, à Patre natus abit.

 nem-

Nempe homo mors homini est, modò quem te[...]
gisse perisse est
Ipsa vel exitium noxia verba ferunt.

non ſtatim Divinam ſcelerum vindicem d[...] tram occulta virtute operantem, quâ terga [...] rit mortalium, intelligat? Quis inficias i[...] eſſe flagellum DEI? Si furiæ hujus, quâ in[...] necandum uti ſolet, ſpectet crudelitate[...] Quanta enim mentis conſternatione vide[...] peſte domum ſeu familiam aliquam infeſta[...] te, parvulos quorum ſpes omnis à majori[...] dependet, deſeri, filios à parentibus, paren[...] à filijs, uxores à maritis, & maritos ab u[...] ribus: Idque tanta animorum exſolutione[...] vel ex ipſorum Medicorum genere, null[...] aut ſanè pauciſſimi reperiantur, qui non hu[...] Megæræ inexorabilem tyrannidem, remis[...] líſque omnibus fugiant; Ipſum ſuo temp[...] Medicorum Principem Galenum, annô æt[...] ſuæ 30. cùm Rempublicam Romanam [...] Imperio Marci Antonij peſtis efferatiſſima[...] fligeret, eâ relictâ, non puduit, lares patr[...] repetere. Denique

Nec moderator adest, inque ipsos sæva meden[...]
Erumpit clades, obstántque authoribus ar[...]

Quò propinquior quiſque eſt, ſervitque fideliùs ægro
In partem letbi citiùs venit, atque ſalutis
Spes abijt, finémque vident in funere morbi.

neque verò crudelitas ejus objectum in quo exerceatur ac occupetur, amplum ſatìs reperit genus humanum, cæteráque animantia, verùm & in ipſum genus vegetabilium, virus ſuum frequentiſſimê effundit. In ſumma ſi calculus eorum, qui diverſis in locis vel unica die peſte obierunt, inſtituendus à nobis eſſet, myriadum myriades facillimô negotiô colligeremus.

Sic regnante Imperatore Commodo, referenti *Xyphilino & Dionyſio Nyſſeno* tanta veneni peſtilentialis in Italia fuit malignitas, ut Romæ quotidie duo hominum millia jugularentur.

Volaterano teſte ſub Imperio *Leonis Iſaurici*, Conſtantinopoli paucis diebus peſtis flagellô cecidêre ter centena hominum millia.

Sed quare è longinquo accerſimus id: *Spectemus propiùs quod jacet ante pedes.* Annô 1679. intrà 6. menſium ſpatium Viennæ ſeptuaginta hominum millia hocce imperſcrutabili DEI flagellô interiêre. Annô ſubſequente 1680. Hac in Regia Urbe Pragena immaniter

trucidata 30000. Retrò acta tempora spectemus, hac eadem in urbe annô 1381. in dies sepulti referuntur mille centum & sedecim circiter mortales. Et Annô 1542. Wratislaviæ Urbe Metropolitana & nobilissima Silesiæ intra Spatium 22. Septimanarum vivis sublati 5900.

Si ad sacras literas confugere est animus, *numeri c. 16 v. 46.* legitur; Postquàm 14700 peste occubuissent, dixisse *Moysem* ad *Aron*: *Jam egressa est ira à Domino & plaga sævire cœpit. Ibid. c. 25. v. 9. leguntur* 24000. *peste extincti. Et 2. Reg. c. 24. v. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israël de mane usque ad tempus constitutum & mortua sunt ex populo à Dan unsque ad Bersabee septuaginta millia virorum. v. 16. Cùmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficiat: nunc contine manum tuam.* Ex quibus adductis liquido apparet pestem esse flagellum DEI, quo peccata mortalium puniret. Hujus conclusionis causa quæri posset

Utrùm Pestis cadat sub cognitionem & curationem Medici, cum sit flagellum & pœna cœlitus emissa.

Ratio dubitandi est, quia sicut pestis in populi

pulum Davidis immissa non citiùs cessavit, nisì postquàm Dominus misertus fuisset super afflictionem, & hinc nulla medela quidquam profecit. *Respondeo*: Quòd hìc casus tam specialis fuerit, ac ille sub Maximino, ubi soli Idololatræ & Pagani peste interière, & nullus Christianus. Quòad alias pestes verò, quamvìs negandum non sit, hominum flagitia puniri & corrigi per eas, quòd similiter de alijs morborum generibus, eorúmque causis dicendum est, unde Amos Propheta c. 3. v. 6. ait: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Nihilominùs ùt inquit *Venerabilis P. Athanasius Kircherus in scrutinio Pestis. S. 1. c. 1.* ùt plurimum hoc tempore DEUS secundarum concursu causarum utitur, dum epidemicis hujusmodi calamitatibus premit orbem terrarum: Hinc certum est hujusmodi plagas naturalibus causis non carere, quæ velutì Divinæ justitiæ ministræ, contra humanum genus insurgunt atque desæviunt, mundúmque innumeris malis involutum exagitant. Quemadmodùm verò Sapiens rerum Conditor, ità in mundo bona temperavit malis, ut nullum sit adeò grande malum, cui non suum protinùs paratum esse voluerit antidotum, præcipua benedictione sua instructum; atque adeò ut in pestifera lue antidota esse voluerit tantò

efficaciora , quantò malum truculentiùs fo
ret.

Verùm triplex hominum conditio nob
hìc obſervanda venit, qui de Medicina & re
medijs curiosè judicant. *Primæ condition*
homines nimiùm in medicina confidunt , q
cùm nimiùm tribuant inſtrumento,negligun
inſtrumenti auctorem & directorem, ſinè qu
inſtrumenti operatio non procedit, tantope
confidunt creaturæ ut Creatorem non agno
ſcant, nec reſpiciant; atque hos in ſua perver
ſitate punit altiſſimus, cujus exemplum hab
ſacra pagina: 2. *paral: c. 16. v. 12. Ægrotav*
etiam Aſa anno 39. regni ſui , dolore pedum v
hementiſſimo , & nec in infirmitate ſua quæſiv
Dominum , ſed magìs in medicorum arte confiſ
eſt. Dormivitque cum Patribus ſuis: & *mor*
tuus eſt. Nam

Nì DEUS adfuerit, viréſque infuderit herbis
Quid rogo dictamus , quid panacæa juvent

Ille eſt, qui Deuter: c. 32. v. 39. dicit ego occ
dã& ego vivere faciam,percutiam & ego ſan
bo. Et 1. Reg. 2. v. 6. ait: Dominus mortifica
& vivificat,deducit ad inferos & reducit. M
dicus verò inſtrumentum eſt, quod creavit &
quô utitur ùt benedictionem ſuam circà ægro

exe

exequatur. *Secundæ conditionis* ſunt, qui planê medicinam negligunt, ſpernunt, nihilomnino in ea confidunt,(DEus inquiunt) omniſcius eſt|, morbíque adventum & eventum diu præſcivit & præordinavit, ejúſque voluntatem hac in parte nulla medicina immutabit, aut evertet: Sed oppono DEUS, quos vult poteſt alere ſinè cibis, ergo cibos quærere eſt inutile tempore famis, quæ æquè eſt flagellum DEI, ſicut peſtis, nego conſequentiam. Sicut enim illi, quorum vita ſuſtentatur per alimenta, non vivunt per illa ſola, ſed per DEUM qui illos creavit verbô, ut & alimenta illa, quæ ijs conceſſit; ità etiam illi qui per medicamenta curantur, non per illa ſola ſanantur, ſed per DEUM, qui illa creavit, iíſque tales ſanativas facultates indidit. Imô quod magìs eſt, ipſe Salvator CHRISTUS, qui omnes languores verbô ſanare potis fuit, uſus fuit medicamentis; ſic apud Joann. cap. 9. legimus cæcum ſanaturus, *expuit in terram & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus & dixit, vade.* Ecce, uſus eſt colyriô, qui verbô curare potuit. *Tertiæ Conditionis* ſunt ij, qui quamvìs hanc ſalutarem DEI manum noverint, eâque ſæpiſſimè uſi fuerint, tamen per malevolentiam, invidiam aut contemptum malè de ea loquuntur. De qui-

 bus

bus nihil eſt quod dicamus, quod enim ex malitia fit, à vero recedit, quod à vero recedit, contemnendum; ergo etiam ſimiles contemnendi & ſinendi, ſufficiat ijs pro pœna propria malitia.

Si igitur naturalibus remedijs eſt relevanda & abigenda peſtis, quid mirùm, quòd in naturam & eſſentiam hujus formidabilis mali penitiùs & per vaſta librorum volumina diſcurrant ſcrutentúrque accuratiſſimi naturalium rerum indagatores, ut quantùm poſſibile naturæ jam jam corruenti, naturales ferri valeant ſuppetiæ.

Queres II. *An DEUS peſtis cauſam de novo producat? an verò non jam à primordio mundi ſemina ejus creata exiſtant, & ſucceſſu temporis per ſolum fiat reſuſcitentur? ad punienda peccata hominum.*

Ratio dubitandi oritur ex ſacro textu, *Ge-Geneſ. 1. v. 31. Viditque DEUS cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Reſp. Quòd tempore illo, quô cuncta viderentur DEO eſſe creata bona, & Adam in ſtatu innocentiæ conſtitutus fuiſſet, nihil mali creatum fuiſſe; poſtquam verò Adam tranſgreſſus eſt mandatum DEI, tunc ſemina peſtis ut flagellum producta & creata fuiſſe; quia DEUS prævidit malitiam hominum, ergo, & pœnas pro correctione

præ-



prævidit. Hæc verò ſemina peſtis ſub fomite varijs in locis mundi recondita laterent, donec mandato & permiſſione Divina, aut per malitiam hominum, aut cauſas naturales reſuſcitarentur. Sic negari non poteſt, peſtes à terræ motibus productas fuiſſe ab effluvijs peſtilentialibus, ſub fomite in terræ cavernis deliteſcentibus, eò uſque, donec juſta vindicta DEI per terræ motum reſuſcitarentur & ad hominum ſtragem emitterentur. *Secundò*: Legimus apud *Quercetanum* olim in Seleucia templum Apollini ſacrum imprimìs fuiſſe celebratum in trunco quodam ſeu ciſta deaurata, in qua maximum theſaurum fama mendax ferebat aſſervatum. Cùm verò profani quidam milites, etiam ipſi DEO, ejúſque cultui conſecratis, quantum in ipſis erat, non parcentes, avaritiâ obcœcati, ſacrilegâ manu dictam ciſtam aperirent, ut recoditô in ea theſauro potirentur, hanc prædam reportârunt, ut ex infeſto, ciſtâ aliàs vacuâ, prodeunte, ac in univerſum mox aërem ſe extendente vapore, non ſolùm Seleutia Urbs, verùm etiam univerſa Babylonia, mox & Græcia, tandémque ipſa inficeretur Italia; ac tanta ſubſequeretur peſtilentia, cui vix ſimilem ab Hiſtoricis reperire liceat deſcriptam. Quid aliud in hac ciſta fuerit? quàm reconditum

ſub

ſub fomite venenum. Proſtant enim ſufficientia excitatarum peſtium exempla, per rerum in peſte à contagio infectarum in lucem extractionem. Teſte *Foreſto* pellicea veſte in veneta peſte abſcondita, & poſt ſeptem annos reperta, quot quot ea uſi fuerant, peſte correpti interierunt. *Ven. P. Ant. Kircherus* meminit peſtis productæ à chorda, quæ in domo poſt aliquam ciſtam adinventa fuit, quâ ante 24. annos cadavera peſte interempta ligata in foſſas dejiciebantur. Quid hoc aliud eſt, quàm ſub fomite peſtem conſervari. Talia plura, imò propemodùm infinita exempla reſuſcitatæ peſtis ex reſeratis cadaverum infectorum cryptis, foſſis & cavernis obſervata paſſim, apud authores leguntur. Manet ergo concluſum poſt lapſum Adami creata à DEO fuiſſe ſemina peſtis, & nullatenùs noviter creari aut produci, ſed creata & producta ſub fomitibus ſuis conſervari.

THESIS I.

De definitione & quidditate peſtis.

ANtequam ad ipſam peſtis definitionem accedamus, aliquam ejus nomenclaturam

ram præmittere operæ pretium esse duximus, cùm juxtà *Comænium* : Ille totius eruditionis posuit fundamenta, qui nomenclaturam naturæ & artis perdidicit. Proindè ùt à Græcis ordiamur, hi licèt ad pestis contagium designandum varijs ac diversis nominibus utantur, communissimè tamen id exprimunt per λοίμος id est, deficientia, cùm pestis defectum hominum inducat. Ijsdem etiam ὄλεθριον audit, ab ὄλλυμι, pessundo, quod plurimos pessundet; & per excellentiam επιδημια, id est, popularis & vulgaris, quia maximè communis existit: dico per excellentiam, quia non omnes morbi populariter grassantes, sunt semper pestilentiales: quod ipsum *Galenus 3. Epid. comm. 3. text. 20.* ità distinguit & decernit: *Non est certum nomen morbi Vulgare, vel pestilens, cæterùm quicunque in uno loco multos simul invadit vulgaris hic vocatur : qui si simul hoc habeat, quòd multos interimat pestilens est.*

Latinis *Pestis* à pessundando & depascendo appellata. Hinc in communi vita, si viris in dignitate constitutis, quibùsque consequenter salus & utilitas Reipublicæ ultima lex esse debeat, pessimè verò de mandato sibi munere defungentibus promeritum tribuere honoris titulum velimus, communi sanè proverbiô *pestem*

pestem Reipublicæ eos appellare non veremur. Quam periphrasim ipsi jam olim Ciceroni usitatam fuisse ex eo constat, dum *Catilinam* Reipublicæ Romanæ pestem appellat, & urbe egredi jubet, quod nempe Rempublicam pessundaret & depasceret. Vocatur præterea etiam *Lues & Contagium*, quòd per contactum afficiat, repat & propagetur.

Nobis vernaculo sermone Mor / & mornj Rána audit. Germanis die Pestilentz oder die Pest & per excellentiam die Seuche. Gallis *la Peste*, *Contagion* & per excellentiam *la Maladieu*, Italis *la Peste*, & per excellentiam *il Morbo*. Alijs *Morbus DEI*, seu Divinus à DEO in delictorum pœnam mortalibus immissus appellatur.

Præmissa aliquali Pestis nomenclatura, ad definitionem ipsam accedendum est, nè vagari & errare videatur oratio, si ij, qui inter se dissenserint, non idem esse de quo agitur, intelligant. *Cicero de Oratore.* Ejus definitionem seu potiùs descriptionem optimè inter reliquos proferre videtur *Ettmullerus*, his verbis:

Pestis est morbus seu affectus maximè contagiosus, epidemicus & deleterius, qui ortum ducit ex miasmate venenato, ab aëre primum suscepto, & ità per contagium ulteriùs propagato, quòd occultè

cultè & latenter homines plures aggressum, eos in summum vitæ periculum conjicit, & ferè bubones, carbunculos, nonnunquam & petechias, aliáque symptomata, comites secum trahit. Dicitur *morbus maximè contagiosus*; quia per contagium ex uno corpore in aliud propagatur. Est verò *contagium inquinamentum, miasma seu effluvium quoddam, constans particulis salinis summè activis, quod vel in aëre volitans, vel ab alio corpore ægro exspiratum & à sano receptum, sive per habitum & pororum hiatum, sive per nares, sive per os mediante respiratione salivæ se insinuando, & mediante chylo massæ sanguineæ se commiscendo, eandem adoritur, & in pessimum, secundùm propriam malitiam statum deducit.* Contagium hoc homines afficit nunc per contactum corporalem, nunc in distans agit. Per contactum afficit vel *immediatè*, contactu nempe corporis sani ab ægroto: vel *mediatè*, mediante certo fomite, utì sunt lana, linum, gossipium, ligna, stragula, integumenta, & quæcunque vestes aut res raræ & foraminosæ, quæ virus per unum, duos & plures annos conservant: ùt *Fracastorius lib. de contagio cap. 10. scribit.* In distans agit per aërem nunc inspiratum & pulmones virulentiâ suâ aggredientem, unde communiter in peste anxietates præcordiorum; nunc

Salivæ permiſtum & ventriculum afficiens, unde nauſea. Diſtinguitur *contagium* ab *inquinamento*, quòd inquinamentum ex omni re corpori humano adverſante produci poſſit, v. g. ex plantis, fungis, venenatis, &c. contagium verò ſit effluvium ex corpore ægro emiſſum. Differt ab ipſa *peſte*, quod contagium non ſit ſemper peſtilens & venenatum, quale eſt in phtysi &c. aliiſque morbis contagioſis. Peſtis verò habet contagium venenoſum, malignum & deleterium, ſimpliciter & abſolutè.

Dicitur etiam affectus *Epidemius*. Morbi enim quicunque eodem tempore multos invadunt vel ſunt (I.) *Diſperſi*, *Sporadici* appellati, id eſt, qui *generis diverſi in una vel pluribus regionibus graſſantur, multóſque eodem tempore infeſtant.* Vel (II.) *Communes* ſeu *Pandemii*, ſúntque *morbi ejuſdem ſpeciei, qui plures eodem tempore & in eadem vel pluribus regionibus invadunt.* Horum alij ſunt *Endemij* ſeu *Patrij*, qui ſunt *morbi orti à cauſa aliqua communi, certæ alicui regioni propria*, ùt Phtiſis Luſitaniæ, Elephantiaſis Ægypto, Scorbutus maritimis ſeptemtrionalibus locis, ùt: Holandiæ, Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ; lues venerea Indiæ, Struma locis alpinis, Plica Poloniæ, &c. Alij verò ſunt *Epidemij* ſeu *popula-*

pulares seu *vulgares*, qui sunt *morbi orti à causa aliqua communi, nullique regioni propria, plures uno tempore & loco invadentes.* Atque hi sunt aut *Benigni* absque pernicie manifesta, aut *maligni* sive *pestilentiales* cum pernicie & lethalitate manifesta conjuncti, id est, & materialiter & spiritualiter venenosi, totum corpus in-& afficientes: Et hæc est ratio quare addi debuerit in definitione *contagiosus* & *epidemicus deleterius*, &c. ad distinctionem epidemiorum benignorum, qui non sunt ex se deleterij & perniciosi.

Hìc *quæstio* moveri posset, *si nimirùm in quapiam civitate unus tantùm peste laboret, an hæc pestis propriè morbus epidemicus dici possit?*

Ratio dubitandi est, cùm morbus epidemius sit, qui plures uno tempore & loco invadit; hac non obstante dubitatione, respondemus hanc pestem, unum solum hominem invadentem esse tamen morbum epidemium, sufficit enim, ut epidemius morbus dicatur, si naturâ suâ se se multiplicare possit, ità ut vulgaris sit *actu primo*, etiamsi actus secundus impediri possit.

Dicitur præterea: *Qui ortum ducit ex miasmate venenato.* Ad distinguendam causam immediatam pestis nempe miasma, quod est *effluvium quoddam sub parva mole summè activum,*

vum, magnâmque habens energiam : & prou[illegible] hìc consideratur est venenatum atque delete[illegible]riâ vi præditum.

Dicitur *ab aëre primùm susceptio.* Quia [illegible] infrà patebit aër est communissimum pesti[illegible]lentialium effluviorum vehiculum, non ta[illegible]men absolutè tale, quia dantur pestes quæ pe[illegible] solum contactum corporalem agunt, absque infectione aëris. An verò pestis ex infect[illegible] aëre procedat, an per contagium ab uno in alterum serpat & propagetur? dignoscitur [illegible] alites ex aura decidant; enecata & mortua[illegible] animalia terrestria in campis aliàs inter sege[illegible]tes residentia, & leto sybilo sibi harmonic[illegible] correspondentia subitò obmutescant; è con[illegible]tra si solos homines & non animalia in aëre degentia aggrediatur venenum pestiferum, per contagium est absque infectione aëris uni[illegible]versi propagatur & serpit.

Reliqua in definitione posita subjectum, & varia in peste obvenientia symptomata enu[illegible]cleant, quæ in sequentibus clariùs & luculen[illegible]tiùs declarabuntur.

Quæstio I. *An pestis sit certum morbi genus* [illegible]

Ratio dubitandi fundatur in tanta morborum congerie, quæ in peste animadvertitur; quales sunt: febres, aphtæ, cephalalgiæ, deliria, sopor altus, vomitus, angina, ulcera, tumores, petechiæ aliæque maculæ, &c. *Se*[illegible]

cundò, quòd ferè nulla peſtis fuerit ſicut altera. Ad *primum* reſpondemus, morbos enarratos non eſſe veros morbos, ſed tantùm ſymptomata ſed ſymptoma utpotè accidens nõ mutat eſſentiã rei: Ergo ſymptomata enarrata nõ oberunt quin peſtis ratione ſuæ eſſentiæ ſit certũ morbi genus. Quoàd *ſecundũ* dubiũ reſpondemus, diverſitatẽ illã non ratione eſſentiæ ſuæ ſed ratione ſubjectorum talem fuiſſe; alia enim peſtis eſt, quæ fit in æſtate, alia in autumno, alia in hyeme & vere, alia ſi incidat in ſubjecta cacochymica, alia ſi in Euchyma: ſed à ſubjecto non mutatur eſſentia morbi, ſed tantùm modificatur; ergo neque hoc obſtante, tamen adhuc peſtis poteſt dici certum morbi genus. Verùm cùm Medici tria genera morborũ aſſignent, nempe (I.) *Morbum intemperiei* ſeu ſimilarẽ, qui eſt *morbus ex inconveniente qualitatum temperie in corpore humano conſiſtens, lædens actiones corporis primo & per ſe.* (II.) *Morbum organicum*, qui eſt *morbus à quo principaliter tantùm læditur functio partis, quatenùs organicæ.* Et (III.) *Morbum ſolutæ unitatis* ſeu *communem*; Qui eſt *morbus in partium continuitatis ſolutione conſiſtens.* Ad quod morbi genus ex hiſce trib⁹ ſit peſtis reducẽda? ℞. Referri poſſe ad morbos intemperiei, nempe *intemperiem elementalem - vitalem*, in quan-

 tùm

tùm circulantes humores in elementari ſua crafi & conſtitutione turbantur & invertuntur. *Fernelius* vocat *intemperiem totius ſubſtantiæ*, Diemmerbrok *Intemperiem occultam*; quæ cum elementari-vitali intemperie coincidunt, ſed ſolùm eſt diſſidium de voce.

Quæſtio II. *An febris ſit de eſſentia peſtis*

Ratio dubitandi eſt, quòd ſi peregrinum & naturæ adverſum aliquod fermentum maſſam circulantem ſubintret, eam immediatè in motus præternaturales concitet & febrem conſtituat, ſicutì à modernis *cauſa immediata* febris fermentum peregrinum minùs aſſociabile cum humoribus circulantibus, ſtatuitur; ſed in peſte adeſt fermentum peregrinum & quidem ſummè adverſum naturæ: ergo conſtituet febrem, & quidem eſſentialiter connexam ipſi peſti. Conceſſa majore, neg. ſuppoſitum minoris, quòd nempe fermentum illud ſive potiùs miaſma peſtis circulantes humores immediatè afficiat; quodvis enim appetit ſibi ſimile, ſed miaſma ſive fermentum peſtis ùt ſummè ſpirituoſum & activum, appetet ſibi ſimile nempe ſummè ſpirituoſum & activum: nihil autem in nobis eſt activiùs ſpiritibus, ergo ſpiritus afficientur citiùs, quàm humores circulantes. Quod pluribus th. ſequenti probabitur. His præmiſſis dicim.

de essentia pestis non esse febrim : Ex ratione *primò.* Ideò in febre maligna quandóqne pulsus est bonus & urina bona, quòd fermentum malignum mortificet spiritus animales & non massam circulantem, & hinc nulla febris etiam adest: sed eadem ratio militat pro peste: ergo. *Secundò*: Si febris fuisset vel esset de essentia pestis, debuisset omni pesti de essentia cohæsisse, sed non cohæsit; ergo; sic ab *Ægineta* fuit colica pestilens sinè febre: à *Wiero* dysenteria pestilens sinè febre: à *Mercuriali* pestis in qua pedes, tibiæ & ossa afficiebantur, ut intrà triduum peste correpti interirent sinè febre observata. *Agricolæ* nota fuit pestis, qua homines velut stupefacti, ac siderati occumbebant: sed in neutra harum observata fuit febris: ergò; *Tertiò* opitulatur nostræ sententiæ authoritas *Hipp. 3. epid. 3. & ibid. Galen: in comm.* postquàm amplam pestis historiam fecisset, ultimò ait; *Et hæc in febribus & sinè febribus.* *Forestus lib. 6. obs. 10.* ait: Se multos vidisse, qui citò extinguebantur, cùm ab initio nequaquam febrire aut malè habere viderentur. Item *Alexander Massaria lib. de Pest.* ait: Hac nostra peste plerique sinè febre interierunt. Quibus & nos rationibus, authoritatibúsque moti, febris mentionem in in pestis descriptione nec fecimus; licèt mini-

 mè

mè ignoremus in genere paucissimas pestes, quæ alicujus durationis sunt, sinè febri darii. Attamen esse febrim de natura & essentia pestis, solenniter negamus. Opponat *Minderetrus* & cum eo *Sorbeit* ratione putredinis quidquid velint. Nos paucis dicendo omnia, credimus, pestem ex putredine non oriri, sed putredinem ex peste, id est puttedinem pestem rarò vel nunquam præcedere, sed eam plerúmque sequi. Unde etiam cum *Riverio* dicimus *Pestem & febrem pestilentem* differre tanquàm speciem à genere, cùm Pestis dari possit & data fuerit sinè febre; ratio suffragatur cùm venenatum miasma non habeat sibi necessariò adjunctam putredinem, à qua febris exoritur, successu verò temporis ùt mox diximus, & infrà thesi 3. dicemus id fieri posse non negamus, cùm non ignoremus variolas, morbillos, dysenterias, febres malignas in pestem sæpiùs degenerâsse aut pestem consecutas fuisse.

Qvæstio III. *Quare febris in peste, quæ est alicujus momenti & durationis eam comitetur, & non statim accedat pestis principio?*

Respondemus id provenire ex robore passi; si enim partes solidæ sint debitè unitæ, spiritus animales, vitales & ipsa massa circulans legitimè constituta, acido & alcali suo moderato prædita, potenter resistet natura pestilen-

ti

ti veneno, séque: eòusque tuebitur, donec venenum pestiferum majores acquirat vires & sensim massam circulantem corrumpat, ex qua corruptione oritur febris. E contrà si passum sit debile, spiritus effœti, humores cacochymici sinè omni febre brevissimo tempore flam̃ulam vitalem pestiferum hocce venenum exstinguet. Aut cùm pestis miasma singularem analogiam habeat ad Spiritus nostros, sicutì plerúmque habet, ùt in quæstione præcedenti probavimus; hac ratione *Hercules Saxonia Prax. lib. 11. sect. 2. cap. 3.* Scribit his verbis: *Hinc fit in peste non rarò homines integra valetudine fruentes, & sanorum omnia munia obeuntes, momento temporis, quasi fulmine percussos, cadere & interire, quod in aliam causam, quam in spirituum vitalium à veneno, inspiratu accepto, corruptionem, referri non posse, pro constanti habeo.*

THESIS II.

De Subjecto Pestis.

PArtem affectam seu subjectum pestis, habita relatione ad hominem statuimus *primarium* subjectum, *Spiritus* & *secundarium*

rium humores circulantes cum *partibus solidis.* Cùm enim venenum pestiferum consistat secundùm *Sydenhaym obs. de morb. acut: sect. 5. c. 5.* in particulis spirituosissimis, indè etiam objecto spirituoso se citiùs insinuat, quàm solido, quod clariùs evadit, si immaginationem consideremus, quæ non nisì spirituum ministerio peragitur, & tamen efficacissimè contagij receptionem promovet. *Secundò*, nimia & subitanea virium prostratio tàm ex ægri relatione, quàm ejus pulsu cognoscenda. Cùm verò omnis vis corporis, viriúmque robur in spiritibus situm sit, non poterit in peste tantus virium collapsus tam repentinus esse nisì venenum pestiferum primò spiritus occupet: hósque immediatè destruat, & his mediantibus contenta *cætera fluida* inquinet, eorúmque fermentationem & pneumatosim lædat. Sunt autem Spiritus virium fundamentum duplices *Vitales & animales*; qui tamen mutuo nexu & functionum circulo mutuas opes sibi conferunt, & ad conservationem sui ac totius corporis intimè conspirant. Probè autem attendendum an in peste aliisque morbis malignis magìs *spiritus vitales* & cũ ijs massa circulans: An verò *Spiritus animales* & cum ijs genus nervosum magìs afficiantur?

Spiritus animales ac genus nervosum pri-

mario

mariò magìs affectum ostendunt (I.) Ardor capitis circà frontem continuus & longè intensior, quàm in reliquo corpore. (II.) Pulsus durus. (III.) Si cum pulsu laudabili, hoc est magno, vehementi, æquali & frequenti, summa virium prostratio aut stupor, aut facultatum animalium defectus se exerat. (IV.) Agrypniæ seu vigiliæ pertinaces. (V.) Appetitus prostratus, nausea & vomitus. (VI.) Cutis arida & tensa: E contrà

Vitales spiritus & hinc massam circulantem affectam esse persuadent (I.) febris à principio. (si nimirùm adsit) (II.) Anxietates præcordiorum. (III.) Fluxus alvi, aut sudor colliquativus & (IV.) sudor subdulcis & nauseosi odoris, qui putredinis inchoatæ est comes.

Partes solidæ ferè indifferenter affliguntur, jam ante jam post infectos vel spiritus vel liquores corporis circulantes. Præ illis afficiuntur, si malum sit per contactum, tunc enim qua corpus attingit, septicâ sua vi immediatè partem illam mortificat & corrumpit, unde Authraces, &c. de quibus Thesi ultima.

Quæstio I. *An spiritus vitales in peste speciatim afficiantur absque infectione sanguinis?*

Resp. negativè. Quia nullos spiritus vitales

les in corpore humano à circulantibus humoribus ſeparatos, ſed ijs intimè unitos eſſe agnoſcimus; quapropter his affectis neceſſariò etiã circulantem maſſam affici, extra omne dubium eſſe credimus.

Quæſtio II. *Utrùm cor præ alijs partibus ſolidis in peſte afficiatur?*

Ratio dubitandi exurgit ex ſententia Modernorum ſtatuentium, *cor* nihil ſpeciale præ alijs partibus ſolidis tam ratione texturæ propriæ, quàm ratione officij, quòd nullum admittunt cordi, ſed ſolùm ſe permodùm antliæ, ſanguinem transmittentis ad alias partes, habere: hoc nõ obſtante reſpondemùs & dicimus: *Cor præ alijs partibus ſolidis affici.* Quod & ratio & experientia convincunt. *Ratio.* Quia venenum peſtiferum, & miaſma illud deleterium inſpiratione in corporis œconomiam receptum nullam partem immediatiùs & violentiùs appellit, quàm *cor*, inſinuans enim ſe ſanguini, in pulmonibus circulanti cum aëre, ut ût aliàs univerſali reſolvente homogeneo, ſummo impetu irruit in ventriculos cordis, quò verò major impetus, eò major porulorum, tubulorúmque hiatus, ut appellens cruor omnes cordis etiam minimas concamerationes ſubintrare valeat, hôc pactô venenum ſubintrans intima penetralia cordis, ſpiri-

ſpiritum cordis inſitum, (ſive ùt alij nominant) archæum ſive fermentum peculiare unâ fideliâ aggreditur, & eâ ferociâ agit, donec enervet, ſubigat & enecet.

Experientia cor interpartes ſolidas *primariò* affici demonſtrat Syndrome ſymptomatum à corde procedentium, quales ſunt ſyncope, lypothimiæ, &c. cordis affectiones nuncupatæ.

Authoritate Avicennæ qui ità de peſte ſcribit: *Aër peſtilens corrumpit complexionem ſpiritus cordis*, deinde *putrefacit quod circumdat ſpiritum.* Tertiò, *accendit calorem præternaturam.* Quartò, *hinc calorem diffundit in corpus.*

Præterea peſtem illam Neapolitanam cujus meminit *Petrus á Caſtro*, in qua præſtantiſſima alexipharmaca, in caſſum applicabantur, donec periculô factô, unus alterve peſte enecatus, exenteratus & in cujuſvis corde vermis adinventus fuiſſet, hiſce vermibus ſuccus allij ſuperfuſus eos interemit, unde in poſterum in hac ſpecifica peſte allium ejúſque ſuccus cæteris alexepharmacis copulatus optimum præſtitit effectum: Ex hac hiſtoria vel ſola patet luce meridiana clariùs partem affectam inter ſolidas corporis partes *primariò* eſſe *cor.* Quare enim hic vermis cor affecit & non aliam partem? Ratio alia non occurrit, quám cùm

cor

cor primaria & princeps pars ſit, quæ toti lar-gitur aliquid nempe ſanguinem, ad ejus ſuámque propriam conſervationem, & in hoc microcoſmo præcipua arx atque propugnaculum quô debellatô, tota vitalitas proſternitur. Si igitur peſtilens hocce venenum deleteriâ vi præditum humanam evertere & ſopire conatur vitam; quid mirùm! ſi illud, in quo vitalitas naturæ humanæ fundatur & fortiſſima eſt ſummis viribus & potentiâ aggrediatur.

Quæſtio III. *Quomodò fiat, quòd nonnulli imprimìs Confeſſarij, Medici, Chyrurgi, Veſpillones, aliíque qui miniſter a ſua peſte infectis deſtinârunt, ſinè ullo damno cum innumeris ferè peſte infectis converſentur?*

Reſpondemus, hanc vim conſiſtere I. in debita totius corporis ſimetria & robore ſpirituum tum vitalium, tum animalium. II. In animi conſtantia & fiducia ergà DEUM, quæ ſit ſinè metu aut terrore. Et tandem III. Conſuetudine, à conſuetis enim non oritur paſſio, ſaltèm non tanta, ſicut enim *Mithridatius* Rex ultimus ponti, à parva doſi incipiens venenum aſſumere eam fortitudinis & conſuetudinis acquiſivit Idioſyncraſiam, ut immunè in magna doſi aſſumere potuerit venenum, ergo etiam eadem ratio pro ijs, qui peſtiferis inſerviunt militare poteſt.

THE

THESIS III.

De Differentijs Pestis.

EXtrà ordinarius noster affectus, ordinarias, methodicas & Scholasticas, raras & per paucas patitur differentias. Dividimus (I.) Pestem in *universalem* & *particularem*. *Universalis* est quæ nulli ætati, nulli sexui, nulli conditioni, nulli speciei parcit, sed tam infantes, quàm juvenes, tam adolescentes, quàm viros, tam consistentis, quàm decrepitæ ætatis adoritur homines, tam fœmineum, quàm masculinum sexum; tam liberas quàm conjugatas, gravidas & non gravidas, tam cœlibes quàm in matrimonio constitutos afficit, tam animalia, quàm etiam homines interimit & enecat. *Dyonisius Haliacarnesseus Hist. Rom. lib. 9.* Similem truculentissimam pestem Romam invasisse scribit, quæ promiscuè sæviebat in omnes sinè ullo discrimine. *Particularis* est in qua vel soli *homines*, qualis fuit pestis Noviomagensis de qua *Dimmerbrok cad. 4. ità scribit* Pestis hæc bruta ferê intacta relinquens, solis hominibus bellum indixerat. Vel *Bruta* vel sola *volatilia* pereunt. Sic

Fer-

Fernelius lib. 2 cauſ. abdit. cap. 12. refert annô 1514. irrepiſſe peſtem quæ ſolas feles corripuit. *Wierus lib. 4. de præſtigijs Demon. cap. 30.* de brutorum peſte ità ſcribit: Superioribus annis contigiſſe meminimus, ut ſolos jugulaverit boves; peſtilentia quædam irrepit etiam quæ ſues & quæ oves, item alia, quæ gallinas interemit.

II. Peſtis *Particularis* eſt vel ſpecialis *ratione individuorum* vel ſpecialis *ratione affectionis* Specialis ratione individuorum eſt, ſi peſtis vim inferat ſolis *infantibus* qualis fuit Neapolitana 1617 de qua *Mercurialis* & ex eo *Kircherus cap. X. ſect. 1. in ſcrut Peſt*: vel ſolis *gravidis*, vel ſolis *virginibus*. *Dyoniſ. Haliac.* deſcribit peſtem *lib. 4. hiſt. Rom.* quâ ſolummodò virgines fuerunt correptæ. Idem *Mindererus lib. de peſte cap. 10.* obſervavit: Sic etiam *Joannes Batterus lib. 3. relat. univerſali de mundo novo* magnam enarrat peſtilentiam, quæ ſolos juniores fuit adorta. Et quod curioſiùs eſt Valentijs in Hiſpania annô 1648. Peſtis derepentè exorta, primò præter ſutores nullum alium invaſiſſe, tandem omnes illos, qui crepitis, calceíſque ab ijs coëmptis uterentur, adortam fuiſſe, donec ſerpente contagioſo malo univerſum regnum contam̃inatum fuiſſet.

Teſtis eſt Kircherus S. 1. c. IX in fine. Peſtem, quæ familias tantum certas invaſit enarrat *Dimmerbrok teſtis oculatus c. 4. in add. n. 6.* Plura exempla habent *Mindererus* , *Mercurialis*, *Quercetanus* , *Sylvius* & alij qui per extenſum de peſte diſſerunt.

Specialis *ratione affectionis* eſt , quando peſtilentiales colicæ , peſtilentiales dyſenteriæ , peripneumoniæ , pleuritides , homines afficiunt.

III. Alia peſtis eſt cum febre , alia ſinê febre , de qua theſis præſens.

IV. Alia *ordinaria* cum bubonibus , anthracibus, petechijs, &c. alia *extraordinaria*, qualis fuit peſtis illa ſudor Anglicus appellata, in qua affecti ſudore diffluebant & moriebantur.

V. Alia peſtis eſt *naturalis* à naturalibus cauſis , Alia *ſupernaturalis* , quæ vel *immediatè* à manu Omnipotentis DEI , vel *mediatè* mandato vel permiſſione Divina ab Angelo percutiente , vel Sathana infligitur. De quibus peſtibus audienda eſt ſacra pagina in diverſis locis.

Quæſtio I. *An febris peſtilens dari poſſit ſinè Peſte , & quomodò differat à peſte & à febre maligna?*

℟. I. *Affirmativè.* Febres enim peſtilentiales procedunt à ſumma putredine , & venenoſa

reſo-

resolutione massæ sanguineæ & non sunt pro-
priè aut strictè contagiosæ, sed causam priva-
tam habentes sparsim aggrediuntur. Has fe-
bres *Hercules Saxonia* & *Riverius* appellant pe-
stilentes sporadicas. *Crato & Lidelius* pesti-
lentes privatas. Alij pestilentes spurias.

℞. II. Differunt à peste (1.) quòd illæ pro-
cedant ab humorum gravi resolutione & pu-
tredine; Pestis à miasmate deleterio, apto re-
solutionem inducendi. (2.) Quòd in illis
dicta resolutio generetur à putridis exhalatio-
nibus v. g. in castris, vel à pravis nutrimentis
vel alio quopiam interno corporis vitio. In
Peste occulta venenositas à præternaturali aë-
ris inquinatione & contagio. (3.) Quòd illæ
non sint tam communes & perniciosæ ac Pe-
stis, quia illarum causa in cujusvis privati sub-
jecti humorum corruptione consistit: Pestis
verò in inquinamento aëris & consequenter in
causa communi.

℞. III. Differunt febres pestilentiales à fe-
bribus malignis, perniciei, symptomatum &
malignitatis gradu ac contagio, quòd illæ per-
niciosiores existant, multò graviora sympto-
mata habeant, et à majore seu pejore maligni-
tate oriantur, quàm febres malignæ: præterea
quòd illæ frequenter, hærariùs contagiosæ e-
xistant

xiſtant. Denique, quòd illæ ſemper alicujus venenoſitatis participes ſint, hæ non ſemper, utpote quæ à ſola ſymptomatum pravitate multoties malignæ nominantur.

Quæſtio II. *An miaſma peſtilentiale citiùs invadat ſubjecta ſeu corpora cacochymica, quàm pura?*

Ratiò dubitandi exſurgit ex aph 3. ſect. 1. ubi Hipp. Athletarum corpora, alias laudabilibus ſuccis turgida, tamen periculoſa pronuntiat. E contra certum ſit bene temperata corpora & in ſymetria ſua naturali conſtituta, alijs infirmitatibus reſiſtere, ergo & peſti. Ratio dubitandi reſpectu cachomicorum eſt, quòd omnibus morbis, conſequenter & morboſæ diſpoſitioni, ſe peſtem facili negotio aſſociare. E contra ſi cacochymici humores turgeſcant ſale fixo ùt in malo hypochondriaco, lue venerea, ſcabie, &c. non tam facilè admittere venenum peſtiferum. Nos ut omnibus ſatisfaciamus dubijs *reſpondemus* cum diſtinctione; ſi venenum peſtilentiale fuerit *ab exhalatione* v. g. *Cavernarum*, ità ut naturam quaſi ſummè ſpirituoſam arſenicalem induat magìs affici eos, qui bono & ſpirituoſo optimorum ſuccorum adimpleto conſtant habitu. Si verò miaſma peſtilentiale *fracidum* & ex putridorum corporum exhalationibus procedat,

dat, ex analogia quadam occulta, citiùs infi-
ciet cacochymicos, putridis quasi humoribus
aliunde jam adimpletos. Teste enim *Aristo-
tele* nullum agens, agit, nisi in subjectum dis-
positum. Interim neuter horum in peste
multum habet quid sibi fidat.

THESIS IV.

De causis immediatis Pe-
stis.

SI in ullo morbo, certè in hoc, causarum ejusdem cognitionem & eruitionem a-
deò esse difficilem & intricatam, multísque difficultatum tenebris obnubilatam, ut mul-
ti Authorum, aut prorsus his supersederint, & ad occultas qualitates simpliciter refugerint;
aut super ipsas tot, támque diversa & indeter-
minata emiserint judicia, ut quid certi eligen-
dum sit ignoretur; aut easdem quàm succinc-
tissimè tractaverint: Cùm verò causæ cogni-
tio, in scientia & lege nostra, media sit cura-
tio, quin imò Medico adeò necessaria, ut æsti-
matio, unà & felicitas illius & ægri exinde in-
clarescat. Secundùm illud:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Illi

Ille metus omnes, & inexorabile fatum
Subjiciet pedibus, strepitúmque Acherontis avari.

Earum verò inscitia, infelicitatis prototypon Medicorum habeatur; hinc non malè asserit *Fernelius lib.* 1. *Pathologiæ* cap.11. his verbis: *Morbi absque causarum cognitione, nec præcaveri, nec feliciter curari queunt.* Nos breviter enumeratis opinionibus quæ nostrô hôc ævô, de causa immediata pestis inter præclarissimos viros sustinentur, quid & nos sentiamus subnectemus.

Causa immediata pestis ùt ex suprà data descriptione patet est miasma venenatũ & deleterium; miasma istud summè contagiosum, subtile, admodum activum est, & quaquaversùm diffusum virulentiam suam exerit; unde ob summam, quam obtinet, subtilitatem, à veteribus aura venenata, ab alijs spiritus pestilentialis, ab *Helmontio*, *Gas fracidum* in aëre, & spiritus incoërcibilis appellatur, quibus innuit & ejus subtilitatem, substantiam & naturam. *Gas* vocans innuit materiam subtilissimam, & spiritum incoërcibilem. *Fracidum* vocans, originem designare vult; quòd ex putrilagine & odore spirituoso fracido oriatur. Quæ verò sit natura hujus miasmatis, seu inquinamenti pestilentialis consistat, tam quatenùs extra, quàm quatenùs in

corpore ſuas ludit tragœdias, acutiſſimorum virorum torſit ingenia.

De hac controverſia in ſpecie quinque primariæ proſtant opiniones. *Prima* docet malignitatem & venenoſitatem in ſingulari quadam putredine & corruptione humorum conſiſtere, qua humores circulantes intenſiore putredine quaſi afficiantur, &ità totum putridum & quaſi ſideratum reddatur. Quæ ſententia eſt *Galeni* ejúſque aſſeclarum. Sed quid cauſa ſit hujus putredinis ad occultas recurrunt qualitates.

Secunda opinio eſt *Williſij de febre cap.* 12 & aliorum quorundam modernorum, qui volunt in peſte & febribus malignis ſanguinem diſponi ad coagulationem præternaturalem; ità ut hinc indè ſemigrumoſus hæreat, ſicque circulum naturalem turbet, humores circulantes corrumpat & interficiat. Cui ſententiæ ſe opponit *Carolus de la Font, Tr. de veneni peſtilen. nat. diſs.* 1. *cap.* 15. Qui potius venenum corroſivum de natura arſenici, ſanguinis texturam diſſolventis, non coagulantis ſtatuit.

Tertia opinio eſt *Sylvij* docentis: malignitatis cujuſcunque naturam & cauſam materialem in acrimonia nunc lixiviali, nunc urinoſa nunc avida conſiſtere, acidum homogeneum

noſtr

nostri corporis destruentis, & sanguinis lymphæque texturam naturalem dissolventis & nimis fluidam reddentis; ità ut deperdita naturali crasi humores circulantes in corde turgescant minùs & rarefiant, quin & spirituum animalium generatio impediatur & generatorum necroses inducantur, & confirmat hanc suam sententiam ab affectu, quòd acida in peste exhibita perservent.

Quarta opinio est *Venerabilis Patris Athanasij Kircheri in Tr. scrut. Pest: propositæ.* Qui præsupponit pestis principium constituere putredinem, ex qua emergentia miasmasa sint meri vermiculi animati, ità ut quot corpuscula in effluvio, sive miasmata concipiuntur, tot inde vermiculos enasci, similiter etiam corpore peste infecto sanguis ad putredinem disponitur, ex qua innumeri vermiculi orti partes solidas arrodunt, & ad interitum consumunt, quod pulchris & curiosis experimentis l.1. c.7. & subsequent. §. §. comprobat præcitatus præclarus author.

Quinta opinio est *Etmülleri* statuentis causam proximam pestis esse acido-volatile-acre seu spirituosum aut venenatum miasma, spiritus corporis nostri animales & vitales enervans, humores circulantes summoperè dissolvens, & plùs minùs destruens.

 Quid


Quid nos de natura hujus miaſmatis peſtilentialis, contagioſi, hactenùs à nemine ſatìs cogniti, aut exactè & ſcientificè explicati ſentiamus, durum eſt decernere. Interim tamen duplicis eſſentiæ & naturæ eſſe ſtatuimus *fermenteſcibilis*, ex putredine ortum ducentis atque acido-volatile acre exiſtere, quódque aptum ſit magìs circulantes humores afficere, reſolvere & deſtruere. Et *ſpirituoſæ* ſi gas illud ex puteis profundis & è terræ cavernis ſinè prævia ſaltèm manifeſta putredine, proveniat; aptúmque ſit magis ſpiritus corporis humani hilare, hócque illo longê acriùs volatilius & ſpirituoſius, malignius & pejus ſit.

Quæſtio I. *An venenum peſtiferum, vel quodcunque aliud veneni genus in corpore naturaliter gigni poſſit ?*

Antequam ad hanc quæſtionem reſpodeamus, notandum aliud eſſe venenum in humano corpore propria ſpirituum influorum, inſitorum & humorum circulantium virtute; aliud illud ex veneno extrinſecùs aſſumpto, produci. Priori ſenſu fieri non poteſt, ut verè & propriè venenum propria & nativa ſpirituum tam influorum quàm inſitorum & humorum circulantium virtute producatur, ſic enim fieret quòd natura tenderet ſua ſponte ad

ſui

ſui everſionem & ultimam necem, quod eſt manifeſtè falſum, *natura* enim eſt *complexio ſive nexus & ordo cauſarum corporis noſtri œconomiam conſtituentium & conſervantium, ſub prima efformatione ità ſtatutarum, ut ejus connexiones neceſſarias & indè effectus ad corporis conſervationem neceſſarij continò ſe invicem ſubſequantur.* Et hinc natura ſui eſt medicatrix: Cauſæ illæ ſunt primariò ſpiritus, ſecundariò humores circulantes. Contingit autem ſubindè hominem dum extrinſeco alimento nociva & peſtifera qualitate prædito utitur, ſævisſimis morborum ſpeciebus infeſtari, non quòd is venenum in corpore proprio generet, ſed quòd virus externum ſub alimenti involucro reconditum, atque intrà viſcera receptum, mox fermentis publicis & privatis reſolutum, œconomiæ animali bellum indicet, & prout viriùm eſt exaltatarum, virus ſuum vel ad productionem variorum morborum, aut ultimatam internecionem explicet. Venenum in corpore generari ſolet ex internorum humorum corporis corruptione, ſed humores corrumpi non videntur nisì ex aſſumpto veneno plùs minùs activo, aut ſub alimentorum corruptibilium forma, quales ſunt fructus horei facilè corruptibiles v. g. *melopepones, poma perſica & americana, quædam genera prunorum*



 dic

die Roß-Pflaumen und Spindling, *poma semiputrida*, & ex herbis fungorúmque generibus innumera. Aut herbarum venenosarum pro salubribus comestione, verbi gratia: *Cicutæ* locò Petroselini, *Hyosciami* pro Buglossa, *Solani* pro atriplice, &c. Aut ciborum mali succi & carnium fœdarum esu v. g. felium, ranarum, quæ malæ sunt qualitatis carnes. Aut sub forma halituum malignorum animalium eorúmque cavernis, cujusmodi loca sunt, serpentibus, rubetis, stellionibus, aliísque pestiferæ sobolis animantibus; uligine & putrida humiditate referta, quorum exhalationes venenoso spiritu & miasmate turgidæ, intùs per inspirationem susceptæ, magnas suinde ludunt tragœdias. Ex quibus sat supérque patet nos negativam tenere, quòd omninò in corpore humano nullum venenum gigni possit nisi ab extra susceptum.

Quæstio II. *An ab astrorum sinistro influxu pestis producatur?* sive an verum sit quod asserit V. P. Athanasius Kircherus de Pestis scrutinio,

Astra movent auram, movet aura salúmq; solumque
His homo vivit, & his planta tenella cibis
Sana bonos faciunt succos malesana putrentes:
Hinc putris in liquidum pestis origo venit.


nos admirantes tanti viri de hac quæstione tam *citat: Tractat. quàm in itinere extatico*, discursum, statuimus astra pestiferum non posse producere venenum & consequenter neque pestem, sive mediatè, sive immediatè: sed solùm ut signa sint temporum secundùm sacrum codicem; astra agnoscimus, inquit enim sacer codex *Genes. cap. 1. v. 14. Dixit autem DEUS, fiant luminaria in firmamento cæli], & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora & dies & annos.* Hoc sacro textu pensitatiùs trutinato non videmus necessitatem magis observationibus imaginarijs, superficialibus & conjecturalibus credendum fore. Dicunt Astronomi quando Saturni & Martis vel Jovis est conjuctio in signo humano necessariò sequi pestem unde Poëta;

Cœlitùs imbuitur tabo difflatilis aura
Mars quando objicitur falcitenénsque Jovi
Dum tamen hæc generi humano infaustissima vincant
Signa salutarem munificúmque Jovem.

Sed quare necessariò? quia Saturnus cùm sit frigidissimus & mars calidissimus ùt hostes duo contrarij concurrentes pessimam efficiunt influentiam, & in quo signo occurrunt, illis

ſublunaribus, cui dictum ſignum eſt appropriatum, nocumentum dictæ influentiæ evenire. Sed ſi ulteriùs quæratur quare mars calidiſſimus? & quare Saturnus frigidiſſimus? quare hæ ſtellæ ità vocentur? quare hæc ſigna zodiaci ſint animantium? & quare alia hominum? quare alia reptilium? nil nisì authoritatem protoparentum, ipſis ſimilia nomina imponentium, & virtutes attribuentium, aſſignare valent, & ex nominibus ea deſignare vel humana vel animalia, vel reptilia; prout præclare *Gaſſendus* & ex eo fundatè non minùs quàm curiosè deducit per extenſum *de la Font. in Tract. de peſte.* Sed obſtant obſervationes per experientiam comprobatæ, ſic tempore Marci Antonij viſa fuit conjunctio ♂ & ♄ quam ſecuta eſt peſtis. Annô 1127. causâſſe peſtem conjunctionem ♄ cum ♃ in ♒ referunt hiſtorici. Item Annô 1574. animadverſa conjunctio ♄ & ☿ quam ſubſecuta peſtis. Ergo non omni virtute defraudanda aſtra. Ad hæc reſpondeo obſervationes dictas à ſolis Aſtrologis & ex his ab hiſtoricis eſſe adnotatas; Cicero pro domo ſua, non contra, ergo & Aſtrologi pro magnifacienda ſua arte hæc pro veris edunt. *Secundò*, ſi quid peſtem præcedat obſervabile in aſtris & firmamento, id conſiderandum ſolùm ùt ſignum à DEO nobis poſitum

tum veluti alteris Ninivitis, cùm enim mortales in hac opinione & persuasione sint similia signa prædicere pestem, ergo etiam DEUS ter opt. max. utitur his signis ad ostendendam Divinam erga nos mortales inclementiam per flagitia nostra productam, & hinc est, similibus visis si ad placandam iram DEI precibus suis mortales immortalem DEUM verum exorare desistant; cùm juxta Divi Augustini in 74. Psalm. non detur fuga à DEO irato, nisì ad DEUM placatum, quòd frequentiùs licèt varia schasmata & constellationes visa sint nullum flagellum DEI subsecutum fuisse. Sed omnia ista & fortè alia, quæ adhuc excogitari & adduci possent, curiosis effugijs & varijs propè innumeris distinctionibus & subterfugijs, curiosè magìs quàm fundatè Astrologi conantur eludere, quæ referre nostri non est, qui compendiosas proponere theses conamur. Plura qui cupit adeat *Ven: P. Ant. Kircherum l. c. Sennertum, Sorbeit & alios: His contrarij sunt & pro nobis pugnant Gassendus in fundam. astr. Dimmerbrok & omnium præclarissimè de la Font in Avenionensi Academia quondam Professor Medicinæ primarius in suo libello de peste.*



Quæstio III. *An corpora viventia infecta, an verò pestifera morte extincta, magìs piopagare valeant pestem?*

Respon-

Respondemus corqora viventia peste infe-
cta, magis esse contagiosa, ratione analogiæ,
quam spiritus ex corpore vivente exhalans
quòad vitam saltèm adhuc habet cum viven-
te. Etiam corpora morte pestifera extincta
propagare valent pestem, & causam pestis ad-
augere, non tamen tam efficaciter utì viven-
tia. Et hoc vel maximè si cadavera putredi-
nem concipiant, & non adeò profundè sub
terram sepulta sint. Unde prudenter & Me-
dici suadentes & Magistratus mandantes faci-
unt, qui peste demortuos quàm primùm, an-
tequam scilicet cadavera putredinem concipi-
unt, efferri, & profundiùs, altiorique in loco
sepulchra effodi, præcipiunt, nè pestilentes
exhalationes exindè productæ, aërem inficiant
& alios contaminent.

THESIS V.

De caussis procatharticis, evidentibus seu remotis & dispositivis Pestis.

NOn sufficit Medicis in praxi excellentio-
ribus causas continentes & immedia-
tas;

tas habere perſpectas; ſed & eas à quibus priores foventur, & quæ illis calcar, occaſionem & anſam præbent, præcipuè verò ubi cauſæ continentes minùs ſunt certæ & evidentes, Medico incũbit ſaltèm evidentes & certas removere, quæ apud eoſdem *procatharticæ* & *evidentes* ſeu *remotæ* nuncupantur. Quas ſervandæ melioris methodi ratione in tres dividimus claſſes.

I. In cauſas remotas à rebus naturalibus petitas.

II. In cauſas procatharticas à rebus non naturalibus &

III. In cauſas evidentes à rebus præternaturalibus deſumptas.

I. Inter *cauſas naturales* numeramus temperamentum, ſexnm, ætatem & vitæ genus. Qui temperamenti ſunt calidi & humidi complexionis ſanguineæ dictæ, ſicut & pituitoſi, humidi & frigidi, magìs ſunt alijs peſti obnoxij, præcipuè ſi miaſma contagioſum procedat à purredine. Si verò procedat ab effluvijs arſenicalibus aut mercurialibus & ſulphure crudo ex criptis ſubterraneis exhalantibus, præ cæteris cholerici ſive bilioſi erunt obnoxij. Diſponuntur magìs ad peſtem ſuſci-

ſuſcipiendam, quorum corpora ſunt euſarca & quadrata, ob venas nimiùm preſſas & ſegnem circulum humorum. Item cacochymici, quorum corpora excrementitijs ſuccis abundant, de facili hac contagionis flamma ſuccenduntur. Unde oportuniores huic malo ſuſcipiendo ſunt prægnantes, puerperæ, infantes & pueri. Eadem de ratione huic morbo capeſſendo quàm maximè habiles pauperes ac egeſtate oppreſſi, utpote ob alimenti & vitæ genus infirmi, ac ob ciborum noxiorum vel minùs ſalubrium eſum, ſed & quod frequentiùs in ſordibus & immunditia degant. Unde Poëta:

Pauper ubique gemit ſub iniquo pondere rerum.
Victimáque ante alios peſtis amara tua eſt.

E contrà qui ſe etiam laudabilibus cibis nimiùm infaciunt utpote cruditates cumulantes & obſtructiones patientes, eodem modo invadi ſolent facillimè. Ultimatim ſi non diſpoſiti ſaltem graviter peſte affecti laborant, quorum cutis arida denſa & minùs perſpirabilis, quorum verò habitus madet, pori aperti ſunt non adeò, quod tamen cum diſtinctione intelligendum.

II. Inter *res non naturales* primatum obtinet

net *aër* inſpiratus, íſque vel contagio putrefa-ctivo ab aliquo ægro inquinatus; vel effluvijs alijs malignis undecunque exhalantibus eſt in-fectus v. g. ex antris ſubterraneis antea diu clauſis per terræ motum aut alia de cauſa aper-tis; vel aër ab anni diverſa tempeſtate impri-mis auſtrina, id eſt calida & humida ut in *Epi-demijs* & *aphorismis* adnotavit Hipp: unde Ovi-dius 7. metamor.

Principio cælum ſpiſſa caligine terras
Preſſit & ignavos incluſit nubibus æſtus.
Dúmque quater plenis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem
Lethiferis calidi ſpirârunt æſtibus auſtri.

vel denique aër nimis quietus, aut in loco mi-nùs apto concluſus, qui ſubindè inſigne vitium contrahit, ut talem aërem inſpirantes poſtmo-dum quaſi veneno afflentur. Plurimùm no-xæ capit aër à cæſorum in prælio cadaveribus nondum humatis, quin etiam à ſtagnis, pa-ludibus, ſentinis, piſcinísque præſertim limo-ſis & ijs in quibus linum aut cannabis immer-guntur infunduntur & macerantur. Quin & cloacarum, ſterquiliniorum, platearum ma-cellarúmque im̃undities & angiportuum fœ-tor formidandus, hinc enim non pauca exſur-

gunt

gunt gas frucida & fœda miasmata, aërem ita alterantia, ut sale ejus universali balsamico omnium rerum conservativo plùs minùs hebetato aut enervato, corpora nostra ita dispo-nantur ut facilè & quasi spontè in putredinem inclinent, infectáque corrumpantur.

Quoad *victus errata*: nîl notiùs est quam famem sequi pestem, seu ut alii Pestis post famem; Item esus alimentorum pravorum unde *Lucanus*

- - - - - Cernit miserabile vulgus
In pocudum cecidisse cibos & carpare dumas
Et foliis spoliare nemus, lethúmque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

ficut & alimentorum nonnihil putridorum, præsertim carnium absque salis condimento comessatio, frequentiùs causârunt febres malignas, pestilentiales tandem & ipsam pe-stem. Huc etiam spectat frumentum malè repositum ac annona rancida, non ritè venti-lata, præter quod similia frumenta, per ali-quot annos quiescentia, tandem ventilata au-ram infecerint & malignos morbos causave-rint adnotante *Rulando Tr. de Febr. hungar. c. 8. pag. 231.* sed & data similis annona rancida in usum humanum, nil nisi corruptionem humo-

humorum post se trahit & hinc morbos pestilentiales. Item esus fructuum horæorum corruptorum, aut maligno rore conspurcatorum fæcundæ morborum pestilentialium matres esse solent. Sic *Epiphan. Ferdinand. Hist. Med.* 11. notat malignos morbos ex esu fungorum. *Schenkius* ex esu cicutæ cum oleribus. *Kircherus* ex esu felis priùs in rabiem actæ. Et quæ sunt plura similia exempla apud authores reperibilia. Non minùs reflectendum est ad *potûs genus*, sic in castris frequentiùs observabantur grassari febres pestilentiales & tandem pestis, ex potu aquarum putridarum & diversorum venenorum seminiô conspurcatarum.

Quòad *excreta* & *retenta* observavit *Minderérus* in peste sui temporis *Augustæ Vindelicorum* virgines nubiles peste correptas citiùs, & difficulter evasisse, ratio fortè fuit seminalis liquoris circa ovaria nimia turgescentia, cui spirituascentiæ, ùt autumat dictus Author, se facilè Spiritus fracidus pestilentialis adjunxit; an quia intro retentus facilê corrumpit, & cum veneno pestilentiali promptiùs connubium init. *Dimmerbrok* in Peste Neomagensi observavit, viros veneri minùs assvetos, si eandem nimìs strenuê exercerent brevì post peste correptos interijsse, ratio erat quia nimia seminis profusio spirituum dissipatione

tione corpus enervans, nec non humorum omnium concitatior & turbulentus motus, atque ex his procedens debilitas & impotentia veneno pestilenti resistere. Hoc equidem pro directione & animadversione multorum non reticemus, nullum genus ægrotantium à veneris stimulo magìs irritari, quàm *pestiferos & podagricos* ex acritate nimirùm miasmatis pestiferi & acritate fermenti podagrici nervosum systema, potissimum partes genitales nervoso-membranoso-tendinosas vallicante, & reverà ut Praxis & autopsia docuit ad interitum ducente.

Animi motus spiritus supprimendo aut dissipando & humores exagitando, confundendóque homines ad pestilens venenum facilè suscipiendum disponunt. *Terror, metus & ira* spiritus & humores inordinatè movendo, malignitatem corpus ambientem versus interiora alliciunt, & intus latentem in actum promovent. Corpus potenter debilitant unde *Ovid. 6. Fastor* ait:

Abstulerat vires corporis ipse timor.

& sanè si in omnibus morbis virium constantia cunctis alijs signis salutem pollicentibus fidem facit non immeritò, quis non videt eas hoc in morbo esse potissimum observandas at-

tendendas. Cùm proindè timor & metus ex apprehensione futuri mali, spiritus virium effectrices suffocent, virtus animalis & vitalis in veneno alioquin expellendo strenuè laborans, nunc quasi vincta, his velutì ultrò se se miserijs objiciat, aut saltèm veneni non tantum, quantum intrò suscepit expellat. Hac de causa in obsidionibus ac castris pestem crebriùs evenientem non semper fœtori, aut putredini cæsorum cadaverum, sed terrori, metui & anxietati & mortis formidini adscribendam esse censent plerìque Authores. *Plura in prophylaxi medica dicentur.*

III. Inter *res præternaturales* sunt diversi morbi maligni prægressi, ùt sunt febres malignæ pestilentiales, petechiales, ardentes & similes, quibus se pestis facillimè jungit. Huc etiam pestes diabolicis artificijs & malitia hominum exortæ pertinent: Quarum historias *V. P. A. Kircherus S. I. cap. x.* recenset: constat enim diabolum naturali scientiæ dono ob peccatum non privatum, sed illud veluti sibi concreatum in sperabili nexu retinete, & hinc miros eum ac stupendos in natura rerum effectus producere posse nemini dubium esse debet. Uti verò omni gratiæ dono privatus, ità ex insito sibi & quasi connato appetitu in omne malum, veluti ad centrum suum & scopum

fertur. Propterea nihil illi poteſt eſſe accep-
priùs quàm eas potiſſimum artes, quæ in ani-
marum corporúmque perniciem imprimìs ce-
dunt, ſcholæ ſuæ addictos, magos inquam &
necromantas edocere, edoctos verò tanquàm
vicarios quoſdam & ad nutus ejus promptiſſi-
mos miniſtros, huc illúcque juſtô DEI judicii
& permiſſione, ſcelerúmque enormitate ſſi
poſtulante ad ingentem mortalium ruinam
machinandam amandare. *Pater Abrahamus*
à Sancta Clara in Concione de Peſte Viennen
ſequentem huc facientem ex *Nicolai Po*
Hermol. Sileſ. narrat hiſtoriam: Annô 160
Frankenſtenij in Sileſia Veſpillones quoſ-
dam veneficos captos, qui antequam pœnas
promeritas luerent confeſſos fuiſſe, quòd cada-
vera humana fœda putraligine jam confecta
dudum annis duobus vel tribus inhumata
terra effodiſſe, & ijſdem, diabolo ità inſtruen-
te pulverem peſtilentialem confeciſſe, cuj
malignitatem priùs in animalium corporib
hinc & proprijs prolibus non parcentes pr
bâſſe, virtute ejus malefica per experientiam
cognita & peſtilentiâ indè jam productâ, mu
tis ùt ſpecificum præſervativum, ſed viaticum
ad æternitatem in cereviſia exhibuiſſe. E
carne verò putredine reſoluta, confeciſſe p

ſtam

ſtam, quâ ſubſellia Eccleſiarum illinirent, & eandem contagij virtutem experti, inter homines magnam ſtragem, ſibi verò promeritum ſupplicium procreâſſe. O! quæ malitia mortalium!

Quæſtio I. *An ſola imaginatione peſtis contrahi poſſit?*

Ratio dubitandi emergit ex ſtupendis affectibus imaginationis & præcipuè mulierum gravidarum, quarum imaginatione fixiori quanta non in utero exiſtenti fœtui imprimuntur veſtigia? Imò cùm non in ſolis hominibus tanta ſit imaginationis vis, ſed etiam in ipſiſmet irrationalibus brutis, utì clarè liquet ex hiſtoria inter *Jacob & Laban Gen. cap. 29. v. 32. & ſequ.* deſcripta. Sicut verò in ſimilibus aliquid potuit imaginatio, poterit & peſtem producere. Ad quod reſpondeo quòd ſimilis operatio imaginativæ facultatis non repugnaverit naturæ, ergo potuit fieri, ut viſis baccillis diverſi coloris imaginatione inde fixiori concepta diverſi velleris oves progenerarentur: quid quid verò taliter repugnat naturæ, ut eam evertere & ſubjugare poſſit per ſe, id etiam repugnat fieri. Et quamvis hìc aliqui perpauci effectus imaginationis recenſeri poſſint: ſic centeni erunt in corpore, in quibus imaginatio nihil poteſt. Proinde di-

dicendum est pestilens venenum per solam tristem imaginationem in corpore humano non gigni, sed terrorem, imaginationis de peste comitem, commotione spirituum, eorúmque prostratione, & hinc humorum defœdatione, corpora ad venenum pestilens facilè recipiendum disponere, & si veneni jam per contagium suscepti, quid in corpore latitet, illud in actum promovere.

Quæstio II. *Utrùm pestis visu, auditu & odore contrahi possit?*

℞. I. *Visu* contagionem contrahi posse, mediantibus effluvijs ex corpore ægro emissis; quod in ophtalmia & lippitudine contagiosa nimis quàm certum est. Unde Poëta.

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi
Multáque corporibus transitione nocent.

Hac ratione à lamijs & vetulis infasciantur & inficiuntur infantes, wan sie verschrien werden.

℞. II. *Auditu* similiter contrahi potest pestis, si per vocem peste infecti effluvia è corpore virulenta & deleteria emissa in auris concham intimiùs se insinuent, aurísque tympanum impetuosiùs feriendo, spiritus in acusticæ nervi expansionem influentes inficiant.

℞. III. De *odore* nulla prorsus difficultas est:

cùm

cùm odor nihil aliud ſit in peſte, quàm efflu-vium corpuſculorum teterrimo fœtore imbutorum, qui tunc verè percipitur, cùm effluvium virulentum nares oppleverit, & hinc eſt quòd miaſma illud peſtilens *Helmont* vocet *gas fracidum*; hac etiam ratione in præſervatorio unguenta & balſama oleáque pro inungendis naribus præſcribuntur, ut attractum cum aura ſimile gas fracidum, in ipſo limine narium hebetetur & annihiletur, ſicque purum ab impuro liberatum, quod puriùs eſt per nares attrahatur.

Quæſtio III. *An moneta poſſit ſuſcipere contagium peſtis? & ex conſequenti an per monetam peſtis propagari poſſit?*

Ratio dubitandi ex ſuprà dictis emergit, diximus enim in ſuperioribus, quæ rara ſunt, ea contagium ſuſcipere, ſed pecunia non eſt rara, ſed corpus compactum, ergo. Reſpondemus corpora rara faciliùs recipere contagium, & diutiùs retinere. Corpora verò compacta, modo ſimiles habeant poros, ut ſe venenum peſtiferum inſinuare poſſit, etiam contagium ſuſcipiunt; ſed non diu retinent, atque cùm minùs firmiter adhæreat monetâ in aquã vel acetũ im̃iſſâ; ab ea ſtatim etiam ipſum venenum ſecedit. Hac etiam ratione Mercato-

res, & quorum intereſt pecunias in peſte accipere ab infectis aut ſaltèm ſuſpectis eam prius in aquam aut acetum projicere mandant, antequàm eam manibus nudis contrectent.

THESIS VI.

De ſignis præcognoſcitivis, diagnoſticis, ſimplicibus & cauſarum diſtinctivis peſtis.

DE peſtis præſagijs ab Hippocrate 3. Epidem: propoſitis, dictum ſatis; quibus tamen & ſequentia præſagia annectere placet. Horum autem quædam deſumuntur à *cœlo*. Quædam ab *aëre*. Quædam ab *aquis*. Et quædam à *terra*.

Primum igitur locum hi, qui meteora tractant obtinent, qui ſiderum quorundam poſitus, coitiones, & oppoſitiones, nec non ſolis lunæque ecclypſes, præſertim grandiores, aut quæ unô eôdémque annô crebriores incidunt; ſi varia in ſpecie nocturnis temporibus in aëre phænomena & metæora videantur, uti ſunt corruſcationes crebriores, ſcintillationes, ſchaſmata, halones, trabes ignitæ, capræ ſaltantes, ignes fatui, & maximè formidabiles com-

cometæ, peſtem hæc portendere tradunt. Hinc annô 1536. in Ungaria viſus cometa ad-inſtar linguæ, punctulis nigris perſperſæ, quem ſecuta peſtis. Annô 1538 viſus cometa quem ſecuta peſtis in Bohemia, Thuringia & Belgio. Annô 1606. cometa, quem ſecuta peſtis. His accedunt varia & portentoſa ſpectra, nocturno tempore viſa, & alia contra naturam obvenientia & obſervata. *P. Abrahamus à S. Clara* narrat c. l. Annô 1678. propè Viennam non duos ſed plures nocturno tempore audiviſſe planctum lugubrem, ſub quo frequentiùs audiebatur intonari verſus: *Placebo Domino in regione vivorum.* Quem planctum Annô 1679 ſecuta eſt peſtis, & quod mirum fuit, nullo ad hoc prodigium ampliùs reflectente, eo in loco ubi hic planctus notabatur, cæmeterium pro ſepeliendis peſte demortuis ædificatum. Inde memoratus P. *Abraham virtuoſiſſimus concionator*, concludit, plerósq; ea peſte interemptos in regione vivorum placuiſſe Domino. Plura qui cupit adeat Hiſtoricos, in ſpecie *Godofredi Chronicam*, ejúſque continuationes ſub nomine *Theatri Europæi* uſque ad moderna tempora. *V. P. Kircherū in Chron. Peſtium.* Et pro noſtra patria *Dubravium Epiſcopum Olomucenſem, Peſſinam in Marte moravico Præpoſitum Pragenſem.* R. P.

Strzedowsky Parochum in Moravia Pawlovicij optimè de sua Patria meritum virum. in Mercurio suo Moraviæ & proximè edita Historia sacra Moraviæ. Hagecium præclarum Bohemiæ scriptorem, & ex novissimis R. P. *Beczkowsky*, aliósque pro patria nostra in historicis desudantes viros ingeniosissimos.

Propinquiora porrò pestis signa ex ipso sumuntur *aëre*, ut cum is modò calet, modò friget, præprimis verò diuturniores tempestates humidæ, australes, pluviosæ, quæ corpori humano valde insalubres, morbósque grassantes, malignos putridos in ducer e apræ sunt quod etiam confirmat Hipp. 3. aph. 16. & 12 *A pluviarum multitudine* inquit *fiunt febres longæ, alvi fluxiones, putredines, comitiales morbi, anginæ, in mulieribus abortus & partus difficiles.* Causa horum omnium jure meritóque transfundenda in atmosphæram iguavã, languidam, elatere destitutam, quæ non inservit spirituascentiæ seu expansioni sanguinis & humorum intimæ resolutioni, sed fibrarum tonum relaxat, eas flaccidas reddit, unde progressio & circulatio sanguinis debilitatur. Ubi verò tardior sanguinis progressio, ibi secretiones, & excretiones etiam retardantur, ibi sanguis crassus, viscidus & minùs subtilis, & indè multi impuri humores in corpore ac-

cu-

cumulantur, & ad prædictos morbos, maximè omnium verò ad putredinem dispositio fit. Cui si accedat contagium, quid mirùm quòd tanta strages in corpora languida, ignava, & excrementis referta, fiat. Quòd autem tempestates plùs justô humidæ pestis sint prænunciæ præter datam rationem aphorismi adducti patet ex hipp. *qui l. 3. Epid.* scribit, aliquando post diuturnas pluvias ingentem subortam fuisse pestem, totam civitatem *Abaton* pervastantem, cujus sævitiâ nonnullis inhabitatoribus pedes, ac brachia deciderint. Idem testatur *L. 2. epidem* suo tempore exaustrinæ constitutionis aëre in *Cranone* primum ichores & pustulas multas, postea & carbunculos propullulâsse. *Galenus de temp. cap. 4.* annum nimis humidum pestis esse prænuncium scribit. *Wagnerus in Chronolog.* sua *Sigebert. cent. 8.* tradunt Anno 801. sub Imperio Irenes Imperatricis Constantinopolitanæ à prægresso aëris humidissimi dominatu invaluisse gravissimam pestem, quæ maximum hominum numerum in Gallia & Germania præcipuè juxta Rheni tractum abstulerit. *Crentben* Author est, Anno 1221. à paschatis festo usque ad autumni tempus humidam & pluviosam valdè viguisse tempestatem, quam mox exceperit pestis triennalis. *Spangenberg-*

in Chron. ut & *Pomarius* & *Entzelius* tradiderunt, regnante Sigismundo Imperatore Anno 1427. hyemis temperiem adeò humentem ac tepidam fuiſſe, ut circà feſtum S. Nicolai 6. Decembr: nonnullæ arbores, inter quas perſica imprimis fuit, frondeſcere, ſéque in flores explicare, nec non cyanos in agris, alióſque flores coronari paſſim in viridarijs progerminare ac reviviſcere viſi ſunt, undè peſtis infauſto prognoſtico prædicta, quæ & ſequente æſtate truculentè quam plurimos invaſit & è medio ſuſtulit. His accedunt cùm aër triſti caligine aut denſa diúque perſeverante ac fœtente nebula ſæpiùs contaminatur. At non ſemper ſufficit ad producendos & alendos morbos peſtilentiales & deleterios ſola per humida, tepida, turbida & nebuloſa atmoſphæræ conſtitutio, ſed concurrunt etiam aliæ cauſæ ex ſecundis qualitatibus, potentiæ nempè acres, ſalinæ, corroſivæ & ſulphureæ in aëre ipſo ceu Seminario cujuſcunque generis effluviorum productæ. Conſtat nempe experientiâ, in ipſo aëre generari multa corroſiva ſalia, quæ rore ſe maximè manifeſtant valdè corroſivo, qui vegetabilibus affuſus, ipſa non modò corrumpit, ſed etiam exedit, & variegati coloris maculas arborum & plantarum folijs inducit, unde obſervatum

fru-

fructus talismodi rore conspersos, vel gramina quoque hocce infecta, & hominibus & brutis summam noxam intulisse, & si nimiùm similia salia exaltentur, se invicem destruunt, & cuncta quæ attingunt in putrilaginem resolvunr, hinc aërem corruptum & venenatis salibus coinquinatum esse ex hoc cognoscere tradit *Mindererus*, si ovum pomúmve aëri per noctem expositum præter morem putrescat; aut si panis è clibano recenter extractus & adhuc calens lanceæ oblongæ affixus ac in sublime erectus, per noctem sic sub Dio patente relictus, quasi putredinem in se recipiens, mucidus marcidúsque evadat, qui animalibus objectus hæc eũ nec degustant, vel ab ejus esu ægritudinem aut mortem incurrunt. Præter hæc aërem infectum prognosticant, si aviculæ in aëre degentes decidant ac pereant, imò aves hac vitiosa aëris qualitate percepta, etiam nidis relictis aliorsum migrant & in salubriorem aërem se se conferunt, quod de passerculis sibi vulgus persuasum habere solet. Majore verò turba adventare creduntur corvi, cornices, picæ, milvi, acaliæ infaustæ vocatæ aves ex rapina & putridis corporibus victum quærentes, inter quas ex mente *Ovidij* bubones nimirùm capillati ac nicticò-



ẞicoraces meritò connumerandi unde ovid. 55 metaph.

Ignavus bubo dirum mortalibus omen.

Signa ex *aquis* petita ſunt fœtor, putredo, diluvia aquarum & ex ijs ſtagna remanentia, excrementa ſpumoſa puſtularum inſtar aquis innatantia, fontium limpidorum in cœnoſos converſio & inſolita turbatio, repentinus piſcium, in ſtagnis piſcinis & fluminibus interitus, rubetarum, ranarum, anguium & ſerpentum, aliorúmque animalium ex putredine oriundorum copia, hinc plerumque peſtem futuram, vel peſſimi moris morbos ſuccedentes prænunciare ſolet inſolita copia inſectorum quæ amant propagari in ſtagnante humido & vapido, Author eſt *Verulamius cent. 9. pag. 923.* annos inſalubres & peſtis ſuſpicione infamari, quando ranarum, rubetarum, ſerpentum, anguium, muſcarum & locuſtarum multitudo eſt, quia hæc animalia oriuntur ex putredine: Imò ipſa etiam hæc inſecta quoniam ſale acerrimo abundant, ſi moriantur & putreſcant, effluvijs putridis partim & ſalinis acerrimis aërem replent, qui exindè pernicioſam & malignam vim acquirit. Refert *Paulus Jovius* de prægrandi cete, ad ripam maris rejecto & putrefacto, quod omnis liguria fuerit contagio indè infecta. Similem hiſtori-

aini

am habet *Plutarchus lib. de industria animalium* de Balæna ad ripam Provinciæ Bunidis rejecta, à cujus putredine pariter pestis incepit grassari pertinacissima. Sacræ pariter literæ hujusmodi contagij exemplum referunt ex ranarum multitudine, quæ Ægyptum insigni afficiebant molestia, in aqua Nili coacervata, putredine aërem & aquam infectam fuisse, unde pestis orta; præterea aquam putredine infectam, præcipuè cancrorum aut interitus aut fuga demonstrant.

Ex *Terra* signa sunt: excedens sterilitas, vegetabilium plerorúmque subitus marcor & corruptio, fungorum magnus proventus, terræ motus, talparum & murium è lateribus suis eruptio & fuga, rosarum & florum tempore autumni nova progerminatio, & efflorescentia, luporum, felium, canúmque in rabiem frequentiùs actorum & in homines aliásque bestias ferox irruptio & aggressio. His Medici annumerant varios sparsim regnantes morbos, quales sunt variolæ & morbilli, inflammationes, ardentes & malignæ febres imprimis petechiales, & apud mulieres gravidas abortus crebri, & quod maximum pondus addit, si pestis in proximis regionibus grassetur. Quæ omnia *Gabriel Ayala* strictis metris sic facundè expressit:

Fu-

Fumantes per inane, fulgetra, Cometæ
Flammigeræq; trabes, tunc quoque signa dabunt.
Caligóque frequens densa, indiscussa sinistri
Augurij est: pluvius lethifer annus erit.
Ver sitiens, humecta æstas, hyeméjque tepentes,
Flatúsque Austrini semina mortis alunt.
Erucæ, muscæ, culices. viridésque locustæ,
Ranæq; & bruchi, reptiliúmque globi.
Idque genus sexcenta alia ex putredine nata,
Vah quantæ stragis nuncia signa ferunt!
Admoneo tactas eadem prædicere quercus,
Aëre aves lapsas, funera crebra gregis.
Funera crebra hominum, occisósque in littore pisces,
Palantes mures, hydrophobósque canes.
Exundánsque fretum, desiccatásque paludes
Limosósque lacus, velivolósque sinus.
Desertósque fugâ nidos terrámque trementem
Percnlsámque metu, visáque monstra palàm.
Corruptámque situ cererem, annonámque negatam
Corruptósque cibos, quæque bibuntur aquas.

Et breviùs:

Pestiferum esse annum jurant ecthimata bubo,
Exanthema, Anthrax, sanguineúsque fluor

Præ

Præproperi partus, choleræ, febrésque vagantes.

Præsens verò contagio cognoſcetur, ſi ſparſim morbi contagioſi cum ſymptomatibus febrium ardentium & malignarum conjuncti graſſari incipiant, concurrentibus ſimul bubonibus, carbunculis, petechijs & vibicibus. His accedit ſimulti invadantur, & plerique ſubitò jugulentur, in ſpecie cum bubonibus & anthracibus: vel quòd ſubitanea adſit virium proſtratio. Pulſus ſubindè in principio apparent magni & celeres, ſed mox parvi, languidi, frequentes, intermittentes, & inæquales, in progreſſu conjungitur febris, calor extrinſecus apparet moderatus, intùs verò inſigniter ardens. Ægri peſte correpti conqueruntur de nauſea, ſinè manifeſta cauſa, ob ſuſceptum contagium, animadvertunt punctiones in locis bubonum, utì ſunt ſub axillis & inguinibus; item, qui fonticulos habent, hi ſentiunt morſicationes & puncturas. Conqueruntur ſimul de odore fœtido & putrido. Quibus omnibus ſi accedat epydemica graſſatio major erit certitudo.

Signa per quæ Medicus veniat in cognitionem cauſæ, nempe naturam veneni, ut ei debita opponere valeat alexipharmaca, eruendi

methodum ſequentem tradit *Ven. P. Athana*
Kircherus S.3. cap. 3. De ſcrut. peſt. Prim
omnium ut Medicus conſideret & perpendi
Regionem diſtrictûs illius & clyma, in quo
peſtis ſe inſinuat, quibuſnam rebus naturali
bus & præternaturalibus abundet, an mult
terræ cavernas colat, an minerales fodinas
& quales an paludibus, piſcinis, ſtagnis aut fl
vijs perennibus ſit dotata? an ſilvis denſis?
verò ſolô glareoſô ſit inſtructa? quæ regio i
la progerminet in majori copia? qualîs qual
tatis herbas? quomodo civitates mundificen
tur? quis genius, an benignus, an malitioſ
populi? & quos tandem ſibi patrios habea
morbos? His perpenſis aliqualem conject
ram facere poterit judicioſus Medicus de nat
ra veneni peſtilentialis. Et tametſi ferè om
nis peſtis aliam habuerit geneſim in hoc t
men unò omnes conſpirant, ut quantocy
correptos enecent, conceptúmque latent
fomitem veneni in alios, alióſque propagen
ſed non eôdem modô una utì altera enecat
perimit; harum quædam putrefactivô ſuô v
nenô correptos mox in tabum diſſolvunt. A
liæ virtute diuretica vel diaphoretica quada
totam humorum circulantium maſſam in ſu
dorem reſolvunt, qualis fuit *ſudor Anglicu*
fuerunt & aliæ, ſtupefactiva quadam vi p
lem

lentes, quæ correptos, veluti ſideratione quadam perculſos omni mox motu privarent; fuit & alia ab authoribus adnotata peſtis, quæ corpus cauſtica quadam facultate ad ipſa uſque oſſa eroderet, exederètque. Alia quæ homines ridendo morti traderet. Quarum cauſas ex analogia operationum, variorum venenorum tum vegetabilium, animalium tum mineralium *cit. Author* prælarè deducit, concludítque: ſicut varia vevena, varia & appropriata ſibi habent alexipharmaca:ità & cognita veneni in corpore vivente latentis natura & craſi idem etiam valebit remedium. V. G. ſi ſtupefactiva facultate imbutum fuerit venenum peſtiferum, æmulabitur virtutem jam plantæ alicujus v. g. opium, mandragoram, hyoſciamum, ſolanum, ſtramonium & ſimiles herbas; jam verò alicujus animalis per morſum aut halitum communicati, qualia ſunt aſpis, aſilus, ceraſtes, quorum virulentiſſimus non modò morſus duntaxat, ſed & vel halitus ſolus, hominem velutì attonitum omni motûs qualitate privat. Quòd ſi virus peſtilentiale fuerit vel corroſivum, vel putrefactivum, vel humorum reſolutivum, tunc planta in conſiderationem veniet, ejuſdem virtutis: cujuſmodi ſunt napellus, aconitum, cicuta, &c. vel inſectum quoddam, anguis ſive

ve serpentis veneno par erit. Igitur quæcumque venena similes effectus præstant, sive ea e vegetabili, sive sensitiva natura emanaverint illa omnia eandem originis suæ causam habere censenda sunt: Eadémque remedia petenda

Quæstio I. *An aër sit tantùm vehiculum perniciosorum & pestilentialium effluviorum? an verò seminarium in quo generetur venenum pestilentiale?*

Respondemus aërem tantùm non esse vehiculum, sed & seminarium diversi generis salium, in quo ipso varias species salium generari, vero admodùm simillimum est. Contineri in aëre sal quoddam universale sulphureum, demonstrant id terræ sulphureæ elotæ & orbatæ omni nitroso sale. Quæ super vel 4. annos aëri libero expositæ fuerint, denuò hoc sale fœcundantur. Et ex hoc quoque liquet *nitrum* inflammabile non in terra recondi, sed genuinam solius aëris prolem esse. Alumen in ignem conjectum & in cineres albos conversum pauco tempore recipit rursùs in poros suos aluminosum sal. Quod etiam circa vitrioli caput mortuum plus quàm certum est. Ex quibus diversitas salium in aëre abundè constat. In aëre itáque diversissimæ sunt exhalationes terreæ sulphureæ, sic quoque inest universale acidum, nullum hinc

dā

dubium, quin pro diversa harũ commixtione & exaltatione, diversæ species salium acres & corrosivæ generentur. Horum verò salium aëreorum vehiculum ad ima descendentium sunt ros & pruina. Illa enim nocturno frigore unita, cum particulis humidis descendunt & terram petunt. Facilis exinde danda ratio, quare deäbulantibus nudis pedibus in rorulentis pratis, pedes exulcerẽtur? quare omnis ferè ros alvũ stimulet & irritet? & quare chymici ex rore spiritum penetrantem metalla dissolventem eliciant? Item patet quare nocturno tempore non sit bonum & proficuum dormire sub libero aëre imò in regionibus præcalidis, ùt Hispania, Sicilia, Italia, Hungaria, India &c. lethale: Præter frigus enim utique nocivum, noxia quoque & pernicialis est roris vis. Vitiatum rorem verò judicare possumus ex rubigine illa quæ fruges inficit, eásque exurit & maculis rubris obducit. Certum quoque signum est virulenti roris, quando apes parciùs mellificant, vel proprijs in sedibus exstinguntur, aut aliò migrant. Bombyces quoque coacervatim pereunt, vel qui superstites, in ipso opificio seminis ignavi sunt. Ex cycadarum obmutescentia, ob deciduum rorem malignum, malas temporum constitutiones prænunciari scribit *Doctissimus*

 Mer-

Mercurialis de peſt. c. 6. qui annô 1577. obſervavit in agro Patavino aut nullas aut rariſſimas cycadas ceciniſſe, unde poſtea gravis ſubſecuta ſit epidemica lues.

Quæſtio II. *An bubones & carbunculi ſint perpetuum peſtis ſignum?*

Reſpondemus: ubi nulla adhuc in loco aliquo de peſte graſſante ſuſpicio eſt; neque in vicinia quiſquam ſimili affectione laboravit; neque alia adſint ſigna peſtis præſentis, neque bubones, neque carbunculos ſufficiens certum & perpetuum ſignum eſſe poſſe, *prout fuſiùs infra theſ ult. n. 3. de carbunc. ad finem videri poteſt.* vid: etiam *Sennertus lib. 4. de febre cap. 4. m. fol. 417.*

Quæſtio III. *An ſymptomatum diverſitas, à miaſmatis peſtilentialis diverſa natura dependeat?*

Reſpondemus negativè, ſed dicimus diverſitatem ſymptomatum dependere à diverſitate & conſtitutione ſubjectorum peſte correptorum, ut ſi ſubjecta ſint diverſi temperamenti, conſtitutionis, vitæ generis, &c. quæ peſtem variè modificare ratione ſymptomatum valent.



THE-

THESIS VII.

De Prognosi facienda in Peste.

ACutorum morborum in certas omninò salutis aut mortis prædictiones esse *Divus Hippocrates* noster jam dudum monuit, quod quidem cùm & suô & aliorum illustrium Medicorum judiciô, observatione verum esse compertum sit, quis de acutissimorum acutissimo morbo certi aliquid pronunciare audebit. Cùm ipsa lues pestifera sæpe in fronte salutem in occipitio funus gerat, adeò, ut plenum spei ac promissionis Medicum sæpe deludat, quomodo eos qui sani jam ferè putabantur, subitâ quasi recidivâ perculsos, derepente in pejus actos, ac qui morti vicini videbantur ex inopinato tanquam vi ereptos præter ferè spem convaluisse observatum fuit.

In genere tamen bonum eventum designare solet, si sudor ab alexipharmacis excitatus laudabiliter & cum euphoria ægri procedat. Si in declinatione ægri obsurdescant. *Hipp.* 2. *epid.* 3. Si ab initio palpitatio cordis percipiatur, signum est validè obluctari inimico suo.

Si ab initio vel vomitus vel diarhæa accedant, non diu continuent, nec adeò cænosum spirent fœtorem, sed levamen æger aliquod sentiat. Si bubones & anthraces tempestivè, licè in copia prorumpant & maturentur, modò non occupent loca majoribus vasis sanguifluis, nervis, tendinibus & ligamentis propinqua, & si petechiæ aliæque pestilentiales efflorescentiæ die judicatoriô prorumpant, rubræ & parvæ sint, nec retrocedant.

Dubij eventûs & plùs mali quàm boni promittentia signa sunt: si patiens potenter mortem metuat, malum: è contra cibum bene capiat & omnia præstanda præstet bonum. *Hipp. 2. aph.* 33. Si à principio hebetudo auditûs, delirium, aut continua ad somnum propensio adsit. Si vomitu aut profluvio alvi symptomatico cum rejectione materiæ fœtidæ, viridis, verminosæ, & cum prostratione virium, sudorisque suppressione æger corripiatur. Si hæmorhagia sive narium, sive oris, sive hæmorhoidum, sive uteri ægros invadat. Si oris halitus sit fœtidus cum appetitu prostrato: portendit enim magnam putredinem, imò stomachum carbunculô oneratum esse. Si subjecta varijs pectoris affectibus laborantia, corripiat, è contrà scabiosos, arthriticos, podagricos, lue venerea infectos, aut hæmorhoidibus;

dibus habitualiter laborantes ſi afficiat, non adeò ſævit in ſimiles. Si exanthemata, bubones, carbunculi & anthraces prorumpere detrectent, aut prorumpant, ſed denuò retrocedant, neque ſudore prolecto redeant. Si iidem duri & parvi permaneant neque maturentur. Si majores ſint quàm bubones & deſuper impoſitæ vivæ columbæ aut pulli non pereant; ſi nigram & duram habeant puſtulam, item ſi lividi & virideſcentes appareant: ſi à principio petechiæ diverſi coloris ſint, aut retrocedant. Pulſus ſit inordinatus, inæqualis, frequens, parvus, debilis, & miurus, præcipuè à principio: Urina craſſa, turbida, & ſinè ſedimento, atque uſurpatis licèt pharmacis non mutetur; Item ſi nimis frequenter mutetur & ex turbida inſtar loturæ carnium fiat, aut ſi nimiùm fœteat, quamquam ſi in ullo morbo acuto & maligno certum *urina bona & pulſu bonus æger tamen moritur*, certè in peſte vel maximè idem evenire conſuevit. Quæ omnia enarrata dubium ægrorum eventum portendunt.

Lethalitatem verò monſtrant: quorum viſcera torrentur, membra verò frigent cum ſiti inextinguibili *4. aph. 48.* Si decumbentes in progreſſu morbi vomitu, diarchæâ aut dyſenteriâ cum excrementis nigris

corripiantur, aut si absque sensu excreta ex-cernantur. Nimia hæmorhagia cum pro-stratione virium insolita, intrà triduum peri-mere solet. Si dolores bubonum & carbun-culorum sint excessivi & absque causa mani-festa cessent, syderationis intrinsecæ signum est. Petechiæ magnæ, lividæ, cæruleæ aut nigræ, aut vibices coloris fusci, lethales. Si calidum, frigidus sequatur sudor isque solùm circa caput & collum. Brevis quoque mor-bi sunt indicia, vultus à naturali sua constitu-tione longè distans, quem collapsa efficiant tempora & oculi concavi, ac nares acutæ, nec non palbebrarum, labiorúmque pallor, & cu-tis circa frontem durities ac tensio certæ mor-tis sunt prænunciæ, alijs maximè à viribus de-sumptis signis malum insimul conidicantibus. Consimilem faciem depingit *Hippocrates* 1. Prognosticorum quam Poëta metricè sic de-scribit:

Triste supercilium furiosus vultus & acer
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenve, cavati oculi, cava tempora, frigida pel-lis.
Duráque in ore jacens rectum frons tenta me-abat.

Quæstio I. *An crisis in peste locum habeat?* *sive*

ſive an peſtis per dies criticos judicari poſſit?

Ratio dubitandi: Omnis enim morbus ſolvitur vel per *Lyſim* ſive ſolutionem paulatinam ad ſalutem vel interitum, quod chronicis morbis eſt proprium; aut ſolvitur per criſim, ſive ſolutionem repentinam ad vitam vel mortem, quod febribus & morbis acutis convenit, ſed peſtis eſt morbus acutus & in progreſſu ſaltèm cum febri; ergo etiam cadet ſub criſim. Diſtinguo ultimam partem majoris, criſis convenit febribus & morbis acutis, coctionem admittentibus & ex ſe non lethalibus *concedo* hanc partem majoris: convenit febribus & morbis acutis coctionem non admittentibus & ex ſe lethalibus, deleterijs & perniciofis, qualis eſt peſtis nego. Similiter diſtinguo minorem & nego conſequentiam. Criſis enim inde locum non habet in Peſte, quòd peſtilens venenum nulla naturæ coctione mitigari, neque etiam per vias humorum purificationi aliàs dicatas ſatìs commodè evacuari poſſit. Malignitas enim peſtis eſt tanta, ut quantùm licèt natura irritata moliretur aliquam hæmorhagiam, aut alvi fluxum criticum, citiùs ſuccumbet & laudabiles humores pænè omnes è corpore eliminabit, antequàm miaſma peſtiferum ejiciat, hoc modo facta tanta humorum

rum deperditione, vires deficient, his verò deficientibus mors in olla. *Sed dices.* Si viribus deficientibus mors esset præ foribus, omnes peste infecti sinè distinctione essent morti proximi & nullus salvari posset, quia omnes sunt potenter debiles, & de lapsu virium conqueruntur; sed non omnes moriuntur; ergo deficientibus viribus non erit mors in olla. Respondeo ad causalem majoris, quia omnes sunt potenter debiles *ab oppressione* ex redundantia causæ morbificæ internæ concedo: quia omnes sunt debiles ex *resolutione* virium nego. Distinguo etiam minorem, sed non omnes moriuntur, quia per medicamentorum debitam operationem & opè naturæ à causa maligna vindicantur *concedo.* Non omnes morerentur, si venenum pestiferum ope medicamentorum quantociùs eliminaretur, *nego.* Si enim corruenti naturæ non ferantur in tempore suppetiæ, veneni activitas exaltatur, passum subjugatur & æger moritur.

Quæstio II. *An æger relinquendus prognostico?*

Ratio dubitandi. Medicus vocatus videt ægrum in deploratissimo statu & tam ratione symptomatum, quàm ratione naturæ morbi brevì interiturum, ità ut sibi ipsi possit prædicere si eum attigerit, occisoris nomen reportrabi

tabit, quem ſors occidit. ℟. Etiam tali periculoſiſſimo caſu ægrum non relinquat, ſed aggrediendo eum, ſe priùs prognoſticô muniat, nè infamiam incurrat. Proindè nemò prognoſtico relinquendus, quia nunquam omnia adeò manifeſta eſſe poſſunt circa ægros, ob ſpecialem uniuscujusque idioſyncraſiam; quin interdùm hujus ratione miracula in medicina fieri videantur, & ij qui conclamati putantur, præter ſpem convaleſcant; Hæc cautela præcipuè cordi ſit Medico in morbis acutis, & maximè peſte tanquam morbo acutiſſimo, tam turbulentus enim, varius & indeterminatus eſt morbi ſtatus, ut Medicus etiam per impoſſibile nemini quidquam certi polliceri poſſit. Hinc *aphoriſmus Hippoc. 19. S. 2. probè obſervandus qui ità habet: morborum acutorum non omninò certæ ſunt prædictiones, nequè mortis, neque ſalutis.* Quid enim potuiſſet magìs *Paræum* in prognoſi ſalutari ferenda confirmare, quàm virium conſtantia: narrat enim lib. de Peſte cap. 17. de ancilla Reginæ Matris, cui bubo à peſte ſe inſinuante propullulavit, denuò diſparuit, ægra nîl mali ſenſit, niſì ardorem urinæ, cæterùm animo & corporis viribus conſtans, pérque cubiculum obambulans tertia morbi die, & hac ipſa die qua expertem ſe eſſe prædicaret,

dere-


derepente concidit & occubuit. Quid inquam potuisset hunc in arte medica solertissimum virum magis seducere ad salutarem prognosim ferendam, quàm symptomatum evanescentia, animi & corporis in dicta ancilla constantia? & ecce dum se salvam existimat, perit. Aliud est in morbis chronicis ubi tempora morbi sunt longiora, accessiones non adeò violentæ & motus morbi non tam in determinatus, turbulentus & confusus, ibi liberiùs Medicus prognosim ferre potest, habita circumspecta consideratione roboris naturæ & violentiæ morbi, ab utriusque hujus mutua collatione dependet fundamentum omnis legitimæ prognoseos. In prognosi enim instituenda se res habet per totum ùt processus Judiciarius. *Reus* enim est æger. *Actor* est morbus. *Testes* sunt signa, in specie quæ à consequentibus desumuntur: nempe ex parte ægri functiones tum animales, tum vitales, ex parte morbi symptomata consequentia. *Advocatus* partes rei agens est natura & *Judicis* vicem obtinet *Medicus* cuncta probè inter se conferens, allegata & probata judiciosè ponderans, hinc vel condemnans actorem, vel judicium in re dubia & periculosa remorans, ad judicium Divinum partes ablegat.

THE-

THESIS VIII.

De Indicationibus in Peste ferendis.

SUmmum artis Medicæ arcanum & medium, quod Medicum quasi manuducit, ut mox ideam morbi, ejus causam, atque ijsdem oppositum remedium & auxilium concipiat, est Indicatio. Utrùm verò in Peste, in qua sæpius ægri morti citiùs mancipantur, quàm Medico tradantur & se committant, indicationi locus esse & dari possit? multi ambigunt, nonnulli tamen omnino affirmant, quibus & nos nostram adjungimus sententiam, & perpensis thesium superiorum causis continentibus, immediatis, proximioribus, antecedentibus, remotis evidentibus & procatharticis, symptomatibus & viribus, asserimus Indicationi & quidem Quadruplici *Præservatoriæ* nimirum, *Curativæ*, *vitali* & *Mitigatoriæ* locum esse. *Primum* igitur locum obtinet *Indicatio Præservatoria*, quæ causæ præcautionem, averuncationem atque remotionem docet; Quæ causarum præcautio prophylaxis audit, & totuplex est, quotuplex



plex medium per quod Lues sive contagium pestiferum induci posset. De qua Thesibus proximis 9. & 10.

Secundum locum tenet *Indicatio Curativa*: nempe quando miasma pestiferum jam in corpus vivens receptum est. Hæc indicatio præcipit & svadet ut venenum pestilens cùm frequentissimè per poros corporis penetret ad interiora, per eosdem denuò expellatur, adeóque per sudorifera. Idem cùm aliquando unà cum aëre forsan inspiretur, atque salivam tunc simul alteret ac corrumpat, quæ continuè deglutita in ventriculo nauseam excitet, non incommodè tunc vomitorio ex parte saltem, iterum è corpore propelletur: ubi autem pars ejus vomitione ejecta, reliqua cum aëre ad pulmones mox & sanguinem subintrans, prædictis diaphoreticis alexipharmacis convenientissimè cum sudore eliminabitur denuò foras. Quatenùs verò hocce venenum qualitate suâ noxia quævis in corpore occurrentia vitiat & in pejus mutat, & qualitate sua salsa-volatili acri, contenta corporis dissolvente medicamento potenter figente, atque acrimoniam demulcente corrigetur. Quoniam verò nîl æquè figendi demulcendíque vim habet ac sulphur, sed fixum: idcircò illa vis meritò expectatur à quo-

vi

vis ſulphure ſimili, hoc eſt fixo & figente, metallico puta & minerali.

Tertium ſubit locum *Indicatio Vitalis* ſeu *Cõſervatoria*, quæ docet & ſvadet ut vires lapſæ reſtaurentur, ſpiritus, atque indè provenientes langvores emendentur, atque ex hinc orta debilitas, emaciatio, marcor, corporíſque cõnſumptio arceantur emendentur & in ſtatum qui conſequi poteſt optimum reducantur per analeptica.

Quartum ſibi vendicat locum *Indicatio Mitigatoria*, interdum ultima, interdum prima, prout urgentior ſymptomatum ſyndrome exiget, nè natura à ſymptomatibus plùs juſtô afflicta, magìs his quàm cauſæ morbificæ ſuccumbat.

Q. I. *An in curatione Peſtis primum locum non obtineat indicatio conſervatoria, præ curatoria?*

℞. Negativè. Quamvìs ſæpe indicationes inter ſe ex aliquo eſſe impares contingat, túmque una præ alia ſequenda ſit, eámque indicationem eſſe præſtantiſſimam, ac omni alteri anteponendam, quæ à viribus deſumitur, illis enim conſervandis, refragantibus etiam morbo & ejus cauſâ, & hinc Medico incumbendum nè dilapidatis illis ad curam ſeriùs veniat, nihilominùs tamen cùm in

peſte vires à veneno ſint oppreſſæ illo per in-
dicationem curativam ſublato, quidem ali-
qualiter reſolutæ permanent, tamen Medi-
cus nîl aliud nisì eliminato venenoſo miaſ-
mate agere poteſt.

THESIS IX.

De cura Peſtis Præſervatoria Politico-Chriſtiana, tam extra, quàm in Peſte.

PErpenſis in priori theſi indicationibus jam in præſentibus adnitemur ijsdem applicare debitam curam, duplex autem no-bis in peſte inſtituenda venit Cura, una ut cu-retur corpus ab inſultu, quo nomine *præſer-vatio* venit, altera ut curetur jam peſte infe-ctus homo. Quia verò in Epidemicis con-ſtitutionibus Regimen Politicum non dedi-gnatur præſervationi Medicæ, præſervatio-nem & proviſionem etiam ſuam adnectere ut pari paſſu tanquam Gradivi Mavortes ma-leſanæ accurrant lui, hinc de ea tanquam ma-teria neceſſaria & connexa aliquid depromere lubet; ità tamen ut quæ Regimini Politico incumbunt extra actualem peſtem præſerva-

tio-

tionis causâ, quàm quæ in actualiter grassante peste fieri debeant; ut propagatio contagij inhibeatur. Quam materiam fusissimè pertractat & ex professo tradit *Joannes Ewechius lib. de officio Magistratûs.* Meminit etiam præservationis politicæ *Quercetanus in suo alexiaco. Dimmerbrok de peste lib. 2. cap. 3.* & alij quàm plurimi retrò actorum seculorum Philiatri; prætereà prostant variæ hoc de capite variarum Regionnm, Provinciarum & Civitatum constitutiones, quorum omnium contenta quasi in compendium & methodum non contemnendam *Inclyti status Ducatûs Silesiæ* contraxisse videntur in promulgata *Anno 1680.* neue infections-Ordnung. Nos exinde aliqua de officio regiminis politici proponemus, prout instituti nostri compendiosa tractatio admittet.

Quia verò omne flagellum & pœna cælitùs emissa rarò remittere consuevit nisi priùs devotis precibus privatim & publicè institutis irà æterni numinis placaretur, hinc regimini Ecclesiastico incumbet publicas devotiones & processiones instituere ad placandam iram DEI. Legimus enim sub Gregorio Magno, hujus nominis Pontifice Maximo, immedicabilem grassatam fuisse pestem Romæ, institutis verò publicis processionibus, sub planctu

 po-

pœnitentis populi ipſum ſum̃um Pontificem vidiſſe Angelum, qui enſem hucuſque in vin- dictam vibratum, vaginæ committeret. Si- præcedens annô 1680. peſtis Pragam obſiden- magìs magiſque ceſſâſſe perhibetur, quant- plus miraculoſa imago Beatiſſimæ Matris DE- Peccarienſis, publicis proceſſionibus per pla- teas, vicos & compita Triurbis Pragenæ de- portata fuiſſet. Olomucium Metropolin Marcomannorum eôdem annô 1680. in to- ferè Moravia ferociſſimum ſuum dominatum exercens immanis hæc bellua, ad ipſa uſque mœnia acceſſit, in ſuburbibus graſſabatur, ipſ- verò civitatem ex eo non aggreſſa, quòd devo- tiſſimis proceſſionibus corpus Beatæ Virgin- Paulinæ per urbem portaretur, à quo etiam tempore prætacta Metropolis hanc Divam victricem pro patrona ſua contra luem peſti- feram efficaciſſimè colit. *Remedia ſpirituali- contra peſtem videri poſſunt in Reverendiſſimi Do- mini Davidis Gregorij Corneri MagnoPromptu- rio Catholicæ devotionis Part. VI. cap. V.* I- quibus omnibus Regimen Eccleſiaſticum tem- pore ſuo non intermittet occaſionem præbere ad agendam pœnitentiam & placandam D- Omnipotentis iram. His præmiſſis aliq- de officio Regiminis Politici, eô quô fieri p- terit moderamine delibabimus, nè fortè-

me-

messem alienam falcem nostram immittere videremur. Proinde.

I. Si in aut prope teritorium alicujus Dominij aut Magistratûs locus aliquis in suspicionem infectionis veniret, statim per litteras amicabiles viciniæ imò & ipsi supremo Regimini Politico Regni vel Provinciæ ut innotescat, *dicta Sanct. Silesiæ* sancitum fuit. Sicut &

II. Certitudine de locis infectis habita omnis correspondentia & commercium cum ijs prohibitum.

III. Præter vias regias, omnes viæ privatæ inhibitæ fuerunt.

IV. Juxtà vigilias in terminis & confinijs Provinciæ, quævis civitas ante suburbia terminos constituere debuit, quousque peregrini admitterentur, & undenam venirent strictè examinarentur.

V. Quarantanæ in confinijs constitutæ, in quibus peregrini suspecti per dies 40. degere coacti. Qui verò peste actu infecti erant amandati, aut ad Lazareta suscepti fuêre. Imò ad Quarantanas domos solùm eos recipiendi facultas fuit, qui attestationibus ità muniti erant, ut in ijs eorum ætas, statura, capillicii, facies & vestitus quam optimè descripta essent.

Quorum autem passus taliter instructi non fuissent, aut suspecti vigilijs viderentur, juramento cavere debebant, ante 40. dies im nullo loco infecto fuisse. Domus verò similes Quarantanæ dictæ, quantùm fieri potuit remotæ & in dissitis locis à via regia & à civitatibus elongatæ ædificabantur.

VI. Commercia ex loco infecto non admissa, præcipuè vestes antiquæ linteamina & telæ, lecti sternia, panni, &c. omnia porosa in quæ contagium se facilè insinuat. Hæc si in terminis erant, averuncata; si verò jam in Provinciam invecta, per ignem & expositionem in liberum aërem, mundificata per dies quarantaniatos 40.

VII. Magistratibus mandatum ut in tempore sibi de Lazareto prospicerent.

VIII. Civitatum plateæ, domus, macella vici & compita, ut mundissimè tenerentur injunctum.

IX. Nullus mendicus, qui non esset domesticus & patrius & quidem notissimus passus; cæteri, qui peregrini erant amandati & nullatenùs admissi sunt, imò domestici robusti publico operi applicati. Qui verò eleæmosynam promererentur, signô Magistratuum muniti esse debebant. Quòd si verò pestis actu grassaretur verè pauperes ut ad hospitalia

talia aliáque pia loca darentur, ſtatutum fuit; nè cogerentur ægeſtate preſſi de domo in domum ire & ſibi alimoniam neceſſariam quærere, hôcque mediô magìs contagium peſtis propagaretur,

X. Peſte imminente in oppidis, pagis aut parvis civitatibus ubi unicus Sacerdos adeſt, pro ſuſpectis & infectis à parte & ſpeciales Sacerdotes conſtituti, nè ſuſpecti & ſani cogerentur convenire.

XI. Ut tempeſtivè à Magiſtratibus Civitatum experti Medici & Chyrurgi in Salaria reciperentur, nè & hi alìàs minùs obligati peſte ingruente longè recederent, & Rempublicam lue oppreſſam derelinquerent; Qui verò reciperentur, ut inſtructionibus ſuis in tempore inſtituantur, promulgatum. Quia verò ſani à ſimilibus Medicis, qui peſtilentiales viſitant abhorrere ſolent, proindè pro Lazareto, Quarantanis, & hoſpitalibus ſpeciales Medici, pro ſanis verò etiã alij conſtituti, pro infectis peſte viſitandis alij, & alij quibus facultas accedendi peſtiferos nulla concedebatur. Híque ab invicem ſignis certis & habitu diſtinguebantur. Ubi vero unicus ſolùm Medicus & chyrurgus adeſſet, chyrurgus pro infectis conſtitutus fuit, qui ut diligenter, circumſpectè tamen citra contagij propagationem, cum Medico corrеſpon-

responderet instructione sua munitus fuit. Ubi autem præter chyrurgum aut balneatorem nullus adesset Medicus, mandatum erat, ut de hominibus sibi necessarijs in tempore prospicerent. In pagis verò constituti œconomici vices Medicorum agerent Medicos in civitatibus tempestivè adirent & consilium compendioséque instructam ab ijs peterent pharmacopæam, ut subditis & pauperibus quantocyùs succurrere possent.

XII. In civitatibus ubi pharmacopolia & Materialium Mercatorès aderant, injungebatur, ut in tempore & in aliquali copia majori de medicamentis alexipharmacis & fructibus in peste salubrioribus utì sunt poma granata, citria, limonia, cappares, &c. sibi prospicerent.

XIII. Cum peste ingruente, omne communiter commerciũ & communio cum infectis cesset, proinde providè in dicta constitutione promulgatum fuit, ut cives omnes, quarumvis civitatum ad notibile tempus victualibus domui suæ providerent, nè defectum tempore necessitatis haberent.

XIV. Quia verò in actuali contagione non semper collegialiter directoria Instantiarum tam superiorum quàm inferiorum, de rebus pestis tempore obvenientibus conferre valerent,

se:

ſed frequenter fieri neceſſe ſit, ut à loco infecto inſtantiæ recedant, utì in Pragenſi Peſte annô 1680. factum eſt, quòd Regia Locumtenentia Pilſnam, Regia Appellatio Rokiczanam, Camara Regia Budovicium aliáque ſupprema judicia alio ad ſalubria in Regno loca diſceſſerint; conſtituti erant vi *dictæ conſtit. Sileſiacæ* de ſupremo aut inferiori Magiſtratu aliqui ſanitatis inſpectores, & pro civitatis amplitudine, urbs in diſtictus ſuos diviſa, cuíque diſtrictui unus altérve ſanitatis inſpector præpoſitus, apud quos Medici, Chyrurgi, platearum mundatores, Lazaretorũ & hoſpitaliũ inſpectores, veſpillones, alijque ad peſtem neceſſarij miniſtri inſtructiones ſuas ſumendas habebant & ùt inſtantijs ſuss in omnibus obedire cogebantur.

XV. Eadem ratione etiam de Magiſtratu vigiliarum inſpectores conſtituti, qui paſſus intromittendorum, aut ad Quarantanam ablegandorum, aut planè reprobandorum examinarent.

XVI. Nè infectis ultimæ voluntatis diſpoſitio adempta videretur, ſolennitates de jure Sileſiaco aliàs uſitatæ in tantùm reſtrictæ, ut valuerit teſtamentum coram notario jurato, & uno teſte, fuerit ille Confeſſarius, Medicus, Chyrurgus aut alius nuncupativè aut ſcriptô factum.

XVII. Conſtituti quoque, qui ſuppelle-
ctilem peſte demortuorum inventarent, hinc
qui purificarent & non citiùs divendere ſine-
rent aut alijs traderent donec ſuſpicio de pro-
pulſo contagio abeſſet, quod infra 40. dies
non fiebat.

XVIII. Non ſolùm pro diverſitate loco-
rum infectorum & perſonarum peſte demor-
tuarum diverſi veſpillones, verùm etiam diver-
ſa cœmeteria conſtituta de ærario publico.

XIX, Perſonæ quoque juratæ conſtitue-
bantur, quæ domos ſuſpectas cruce, & quæ
certè infectæ erant duplici notarent, notatáſ-
que occluderent, nec ulli infrà 40. dies inde
egredi licentia fuit; nè verò ſecluſis auxili-
um omne præciſum videretur conſtituti vigi-
les, qui indies bis horis determinatis, domos
occluſas accederent, & tam conſtitutionem,
quàm quibus egerent, de ſuperioris condigna-
tionis feneſtris, perciperent, iiſque ſecundùm
ſuam inſtructionem ſuccurrerent.

XX. In locis ubi nulla Lazaretha aut Qua-
rantanæ erant, ædificari debebant, ſpatio mo-
dicum diſtanti ab urbe. Sicut & domicilia
propè Lazaretha pro Confeſſario, Medico, chy-
rurgo aliíſque ad peſtem neceſſarijs, exſtrui
mandatum.


XXI. Si in Civitate aliqua peſtis ſe manife-

ſta-

ſtaret, aut in vicinia ad tria milliaria; immediatè ſub pœna amiſſionis privilegij, nundinæ, encenia & ſimilia ubi adeſt concurſus populi interdicta. Victualia, ligna, & ſimilia; ſi quæ ex loco infecto coëmenda erant, extra Civitates deponi debebant, cujus causâ etiam certi Inſpectores conſtituti Marckmeiſter dicti.

XXII. Nemini (præter peregrinis & tranſeuntibus) conceſſum fuit ſub pœna, ut cereviſiam, crematum, vinum, aut alia biberent in domibus effocillari conſuetis, ſed ad domum propriam petenda erant.

XXIII. Prohibitum quoque fuit nè adfecta luſtrica plùs quàm tres patrini; ad nuptias ditiorum præter ſponſum, ſponſámve duodecim; ad communiores verò de plebe ſolùm ſex perſonæ, de quorum tamen ſanitate certò conſtaret, reciperentur & invitarentur.



XXIV. Quouſque in Provincia aliquid peſtiferi graſſaretur, omnes Proceſſiones de locis longinguioribus ad loca ſacra ſtrictè interdicta. Qualis v. g. eſt Proceſſio illa Olomucenſis in Moravia Quotannis Gzaſtochovium in Poloniam celebrata; Non verò per hoc inhibebantur proceſſiones & præcationes publicæ in Civitatibus à Regimine Eccleſia-

ſtico

ſtico conſtitutæ, ſed quæ de loco in locum fie-rent.

XXV. Graſſante Peſte admunia & ſolennia Eccleſiæ obeunda per pauci vi illius Conſtitutionis admiſſi, ne concurſu populi facto, infecti cum ſanis convenirent, ſícque peſtis mutuò graſſandæ & propagandæ major daretur occaſio.

XXVI. Sub pœna quoque interdicti omnes in popinis publicis ſaltus.

XXVII. Injunctum nè Magiſtratus aut Domini directi Dominiorum concederent in territorijs ſuæ jurisdictioni ſubjectis peſte licèt propulſa, à Judæis vel etiam Chriſtianis, antiquas veſtes, lecti ſternia, & quæ in peſte uſitata fuêre, diſtrahere, niſi ab Inſpectoribus ſanitatis conſignatæ fuerint, & atteſtatum omnia præſentia per viros à Republica deputatos tempore & loco quarantaniato fuiſſe mundata.

XXVIII. Promulgatum, ut peſte ceſſante ſub pœna, omnes in provicia, Magiſtratibus & Dominis ſuis directis indicarent loca, in quibus peſte infecti decumbebant, aut ſi quid ſuppellectitis à peſte demortuorum ſupereſſet, ut omnia in tempore mundificarentur, nè ſub fomite contagium deliteſceret.

XXIX. Nemini à Magiſtratibus paſſus dan-

di,

di, nisì qui ad minimum 14. diebus in eorum territorio ſupſiſterent, vel ſaltem adventum ex loco ſalubri demonſtrarent legaliter.

Et hæc ſunt quæ à ſummo Regimine ſtatus Politici Ducatuum Sileſiæ Anno 1680. promulgata fuêre, maximis & acerrimis, ergà contravenientes pœnis ſtatutis. Quæ obſervata & ſancita eſſent in Regno Bohemiæ *Weingarten in faſciculo diverſorum Jurium parte ſecunda* totum habet. Quia verò in compendio omnia deſcribi & proponi non poſſunt, proindè etiam Benevolum Lectorem ad diverſorum Regnorum, Provinciarum & Civitatatum Conſtitutiones remittimus, præcipuè verò præmentionatam Sileſiacam Conſtitutionem, cui parem in Politicis haud licuit videre aut legere. In qna præter jam memorata à Magiſtratibus & Regentibus aliquem populum obſervanda, virorom ad peſtem ſpecialiter pertinentium Inſtructiones per extenſum deductas B. L. inveniet.

Q. I. *An Tempus Quarantaniatum 40. Dierum ſpatio definitum non ſit juſto anguſtiùs?*

Ratio dubitandi. Superioribus enim theſibus memoravimus de contagionis fomite. 7. annis inpellicea veſte venetijs & alibi 25. annis in chorda veſpillonum conſervato, ſiquidem ex hiſtorijs varijs conſtat ad plurimos

an-

annos funes, tales lineas, laneas & pelliceas vestes aliáque contagij fomitem conservare posse, ergo 40. dies pro fomite è rebus suspectis propulsando terminus justo angustior videtur. His non obstantibus *Respon*: sufficere 40. dies pro Quarantana; Præter enim omnium retroactorum temporum observationes, in quibus notatum, venenum pestiferum circa horum dierum terminum tandem consumi; ratio id etiam illustrat, distinguendo inter *rem* & *rem*; aliud siquidem est contagiū conservari in rebus liberiori aëri expositis: & aliud in clausis in quæ nulla purioris aëris pars pertingere potest. Hoc pasito dicimus cum *Ven P. Kircbero* cum in 40. dierum separatione suspecti ut plurimùm liberiori aëre fruantur, pestísque (si qua per fomitem contracta sit) abolendæ, persrequentes indusiorum, vestiúmque mutationes & diætam ritè institutam, curam maximam habeant, sicut & mobilium sivè suppellectilis suspectæ liberiori aëri & igni expositæ, similiter per dies 40. hac methodo certum est, virus pestiferum alicubi intra intimas pororum fibras absconditum, continuò purioris, liberiorisque aëris afflatu, vel exsiccari tandem, vel deserto veneno, cum sale aëris puriore & universali connubium inire, atque in aliud sal enixum

&

& ſalubre degenerare: Quod tamen non fit, ſi panni, telæ, veſtes, ſtragula, funes, pellicea veſtimenta &c. intra murorum concavitates recondiantur, aut intra alia receptacula, qualiacunque tandem illa fuerint, concludantur; ſic enim certum eſt, fomitem compluribus annis conſervari poſſe.

Q. II. *An effluiva peſtilentialia faciliùs ſuperiora? an inferiora loca inficiant?*

Reſpondemus loca ſuperiora faciliùs infici, quàm inferiora, & hinc faciliùs quoque inficiuntur qui in altioribus locis habitant, ab ijs qui inferiori aliquo loco conſiſtunt. Ratio eſt, quia diximus effluvia & miaſmata peſtifera ſummè activa & ſpirituoſa eſſe, ſed omnia ſpirituoſa tendunt ſurſum tanquam ad ſuum centrum. Ergo. Pono inſtantiam ſpiritûs deſtillandi, qui deſtillatus petit alembicum, & nisì ab alembici capitello datineretur, avolaret, imò etiam in vitris benè munitis, non ſemper ſufficienter munitus eſt, ſed frequentius avolat. Eadem eſt ratio veneni peſtiferi; unde ſemper conſultius eſt peſtifera contagione infectos in altiori domus contignatione collocare: hac etiam ratione quàm optimè ſancitum eſt ſuprà §. 18. & in Conſtit: Sileſiaca §. 37. ut jurati viri domos infectas & occluſas adeundo, ab infectis de ſuperioris

con-

contignationis feneſtris neceſſitates eorum
perciperent. Hoc enim pacto auræ liberiori
commiſſa vox, inferiorem non inficiet.

THESIS X.

De cura Peſtis Præſerva- toria Medica.

PRæſervationem Theologico - Politicam ſequitur Medica, quæ in Divino hoc morbo ſemper Theologicæ & Politicæ prophylaxi neceſſario unita procedere debet. Verùm antequam ad ipſam Medicam præſervationem accedamus, hic de uno maximo & laudatiſſimo, comuniſſimóque præſervativo paucis præfari neceſſe eſt, nempe de *fuga* ti- mori erga DEUM conjuncta. Fugiendum autem à principio & invadere incipiente peſte ad loca ſalubriora, atque tardè denuò redeundum. Juxta tritos illos verſiculos:

Hæc tria tabificam tollunt adverbia peſtem
Mox, longé, tardè, cede, recede, redi

Aut:

Ocyùs; hinc ito longè, tardéque redito

S

Sed hæc præservatio non semper est licita, interdum contra conscientiam & rationem, proinde de ijs solùm hoc intelligendum, qui possunt, citò abeant & longè tardéque redeant.

Genuina præservatio medica consistit in duobus.

Primò: *In causæ malignæ averuncatione & vitatione.*

Secundò: *In subjecti patientis ad resistendum malignitati roboratione, seu impeditione, nè contagium malignum suscipiat.*

Pro hisce duobus scopis ritè obtinendis, debita nobis materia remediorum ex triplici fonte petita, nempe *Diætetico, Chyrurgico & Pharmaceutico.* His satisfaciet.

Prophylaxis *Diætetica* consistit in exacta & conveniente sex rerum non naturalium administratione, nempe *Aëris, cibi & potûs, somni & vigiliarum, motûs & quietis, excretorum & retentorum ac animi pathematum.*

Primum locum tenet Aër, qui cùm impurus sit & contagiosus, purificandus, & à contagio liberandus: purificatur aër vel universaliter vel particulariter. *Universaliter* si more veterum luculenti ignes per vias publicas passim extruantur, non solum lignorum incendibilium & simplicium, verùm etiam odoratissimorum, v. g. Quercinorum, miscendo

 ligno

ligna odorata lauri, cypressi, juniperi, & pin
Ausim promittere inquit *Augenius lib. 2. de pes*
cap. 3. adhibitâ tali diligentiâ, ut circa urbe
aut in urbe in quatuor vel quinque angu
quotidie ignes excitarentur, pestem vel ex
guam, vel nullam noxam esse allaturam. (O
ptimum enim aëris correctivum est ignis, u
pote qui motu suo celerrimo quo pollet, hu
miditates absumit, & unà motum & ventu
parat, qui ad ventilandum aërem putridu
& ignavum magnæ est virtutis. Exhalati
nes quoque ex lignis gummosis & balsami
emissæ, virtute balsamica illum implent,
spiritus inde hausti egregiæ succurrat debili
ri sanguini, eiúsque spiritualscentiæ: Et si q
verminosa & animata secundùm *V. P. Kirch*
rum effluvia aërem impleant, ea ignis con
mit, crassa rarefecit & purificat. Qui tam
modus publicorum incendiorum ex varijs
tionibus in desuetudinem abijt. Universa
ter etiam purificatur aër per frequentiorem
plosionem tormentorum bellicorum: Ite
si Magistratus diligentem curam habeat mu
ditiei urbium, aquarum aut transfluentium
aut stagnantium, aut in puteis putrescentiu
Quapropter (I.) omnis fimus & sterquilini
compitis civitatum ad longiùs dissitum loc
evehenda. (II.) Flumina transeuntia in flu

re conservanda, & nullatenùs per cadaverum aut stercorum injectionem defœdanda. (III.) Lanionum circa macellas sordes, utì & coriariorum extra urbem tempestivè evehendæ, nè diutius jacendo situm contrahant & fætor inrecenter mactatas carnes summo cum discrimine carnes coëmentium & comedentium se insinuet, ùt hìc Pragæ apud Judæos frequentiùs deprehunduntur tam in & circa macellas, quàm eorum civitatis plateis sordes in copia, unde inter ipsos etiam frequentiùs febres malignæ grassantur. (IV.) Saginatio suum in urbibus inhibenda, observatum enim nil magìs coinquinare aërem, quàm sterquilinia suum. (V.) Urinæ infectorum non ad domos deportandæ, nec ad plateas evacuandæ, sed quantocyùs in cloacas conjiciendæ. (VI.) Canales cloacarum Ger: die Stollen per infusionem copiosioris æquæ emungendi, (VII.) Putei frequentiùs concutiendi per extractionem aquæ, imò non oberit aliquantam copiam salis injicere ad fœculentias præcipitandas. (VIII.) Lacus stagnantium aquarum, in quibus nil nisì animantia venenata & è putri producta, ùt ranæ, buffones, rubetæ, &c. stabulantur, & putrilagine suâ non parum aërem defœdant, lapidibus aut limo adimplendæ: simili ratione lacus in quibus linum immergitur

tur non nisi in aprico & longè ab urbe aut et am pago, dissito loco, concedendi. Dem que (IX.) Cloacarum fœtor per injectionem calcis vivæ corrigendus.

Particulariter corrigitur aër, si (I.) in d mibus privatis aranearum telæ (de quibus F *rest. lib. 6. obser: 22.* legi meretur) aliæque so des expurgentur, deinde, ut noxius aër excl di, & purior ac salubrior intrà ædes admi posset, fenestræ versùs Orientem, postquà sol exortus vapores terræ nonnihil discuss & hinc illæ, quæ versùs aquilonem spectà per unam alterámve horam reserandæ, mo tempus non fuerit nebulosum. Reliquæ v rò quæ Austrum vel Occasum, vel prop quas cloacas, paludes & piscinas, aut dom vicinam peste infectam, respiciunt, sem clausæ tenendæ. (II.) In cœnaculis lucul ti ignes ex ligno juniperino, buxo, frax vel quercino fiant. (III.) Æstatis tempore æstus Solis, ignes contra indicet pavime decoctis herbarum vulgò frigidarum cum grantibus temperatis commixtarum, consp gantur, v. g. *Ex fol: Salicis quercûs, rosis flor fol. nymphææ, violarum &c.* Ex calidioribus s *v. g. Melissa, serpillum, hyssopus, levandula, s via, nepeta Beronica, thymus, majorana, marinus, satureja, basilicon, fol. lauri, flor.*

mor. aurantiorum eórumque cortices & fol. aliáque his ſimilia. (4.) Suffumigia per totas ædes manè & veſperi fiant extemperatis, non adeò ſuavem odorem ſpirantibus v. g. *baccar: Juniperi: picis, ſuccin. benzoin thur: myrhæ, camphoræ, galbani, vitriol: alumins nitri Sulphur:* imò antequàm cœnaculum ſubintret familia parva quantitas pulveris pyrij accenſa, commune plebejorum in peſte anno 1680. graſſante cum optimo ſucceſſu practicatum fuit præſervativum & aëris purificativum, Sunt qui pro purificando aëre paſſeres in cubiculis alunt & hinc indè in angulis domûs lac recenter emulctum reponant, quod venenum attrahit, & hinc brevi temporis ſpatiô variegatam induit cruſtam. Tabacæ fumus & attractio per pippam non parum emolumenti adfert præcipuè phlegmaticis, ſeroſis humoribus adimpletis & præcipuè aëre pluvioſo & nebuloſo exiſtente, quô etiam multùm ſe à peſte præſervâſſe *Perilluſtris Spectabilis & Excel. D. Præſes in peſte annô 1680. perhibuit.* *Fumus* aceti ſuper ferrum aut ſilices candentes ſuperfuſi, quanquàm multi boni præſtet, ijs tamen qui pectoris morbis affliguntur eum vitent: Acetum poteſt eſſe ſimplex vel roſaceum, rutaceum, vitriolaceum, Angeli ſalæ, vel in quo viride æs maceratum fuit. Suffitus ingratorum

rum & fœtentium, qualis est suffitus *de corn* *hircino Minsichti* cum circumspectione summ concedantur: quia spiritus animales pessumda re valent.

Quibus verò similia non arriderent utpo simplicia, fumi magistrales construi possunt quod tamen ordinarium est, jam parati sub va ria forma: *trochiscorum, candelarum, rotulia rum, pulverum grossorum, &c.* à peritioribu practicis & præprimis locorum Physicis con stituuntur.

Perillustris Spect. & Excell: D. D. Præsi ut expertissimum recommendat fumum se quentem:

℞. *Baccar. Juniperi m. IV. rad: Helenij cont. extr: betul. corn. hirci. raspat: Sabin. aa. m ij. fol: querc: myrrhæ aa. unc j. M. F. pulvis gro sus pro suffitu.*

Cibi & potûs assumptio ad præservationem quæ ad mediocritatem & sobrietatem tend ret non ad repletionem & gravitatē, mult in recessu habet. Sicut enim ex multitudine & infarctu cruditates, ex cruditatibus caco chylia, ex cacochylia, cacochymia fœcund omniū morborū mater & fomes, ità è contr jejuniū & abstinētia spiritus depascendo & sup primendo veneno pestifero suscipiendo corpu aptissimū reddit. Quapropter mediocritas ser

vā

vãda erit. Quorũ facultates ferunt mensas suas instruãt cibis euchymis et eupeptis, quales sunt *panis optimus. caro agnina, hædina, vitulina, bubula junior: gallinæ. capones, pulli gallinacei, galli indici præsertim juniores, cuniculi, perdices, alaudæ: pisces plurimi fluviatiles durioris & friabilis carnis hinc & saxatiles, cancri, &c.* Item *ova gallinacea recentia, lac ebutyratum acidiusculum, aliique similes, qui ad lubitum assari vel elixari possunt. Condimentorum locò, vinum, acetum, omphacium* ubi usuale, *cappares, fructus ribesiorum rub. berberes, cerasa, merasa, & morella acida, poma citria, aurantia, granata acida, limonia & cydonia.* Herbæ & radices. *Cichorei, pimpinellæ, endiviæ, satureiæ, borraginis:* Flores, herba *acetosæ, lactucæ, melissæ, bethonicæ, thymi, chærefolij, petrosellini,* Herb: & radic: *Majoranæ, rosmarini, aspargi turiones,* sicut & *lupuli.* Item *Cinnamomum, caryophilli. macis. nux moschata. ZZ. Zedoariæ rad.* & quod optimum nostratium condimentum est *grana juniperi.* Ex quibus omnibus quivis pro facultate sua & consuetudine optimos seligat. E contra vitandi sunt cibi vetusti, duri, obstructiones parientes, & difficilis digestionis, utì sunt *caro vervecina, hædina, agnina & bubula* vetus, *Porcina* qualiscunque &

 quo-

quomodocunque parata, fumô indurata au
ſalita. Item fumô indurati piſces marini &
muria conditi *haleces*, ova dura, duri lenti &
viſcidi caſei, omnia butyrô nimiùm frixa, &
facilè nidorem contrahentia. Ex piſcibu
noſtratibus prohibentur *anguillæ*, *tineæ*, *al*
burni & leuciſci item *lacticinia* & *olus* fere om
ne. Item quæ facilè bileſcunt & remorat
nidorem contrahunt ùt mel & ſacharum & in
de præparata; Item, quæ facilis ſunt corrupti
onis, ùt *lac recens*, *omnia genera fungoru m*
lactucæ campeſtres, *cucumeres*, *melopepones*
cerasa dulcia, *dactyli*, *pyra dulcia*, *uvæ matur*
dulces, *&c.* Et quæ hujus generis ſunt plur
corruptioni citæ ſubjacentia. *Alliô*, *cæpis*, *ra*
phanô. armoraciâ, *ſinapi* utantur qui aſſueti ſu
& ferre poſſunt in genere omnia antequam
præparentur, benè & ſæp s in aqua mundi
ſima eluantur, & non (ùtì mos invaluit) ca
nes ad totam vel mediam ſeptimanam, ſe
ſi fieri poteſt indies à lanione de recenter ma
ctatis pecoribus coëmantur, facilè enim ſitu
mutant & putrilaginem, maximè tempor
peſtis contrahunt. Pauperes quorum me
dia non ferunt, manducent ea, quæ labore ſi
bi comparare valent, licèt minoris ſint cond
tionis cibi, modò conſueti fuerint, & ijs de
bitus ſubſequatur labor, minùs nocebunt.

Pri

Pro potu ordinario Cerevisia debitè cocta lupulata moderatè & de condigno defecata est optima, imprimis est alba, ex polenta triticea præparata. Qualis Pragæ optima est Universitis Michelensis. In Austria hornensis das Horner Bier. In Moravia Kirvveinensis, in Dominio Magistratus Olomucensis das Kirweiner Bier. Inter hordeaceas cerevisias, qui assveti sunt commendatur in Bohemia, Moravia & Austria confusanea das Land=alt oder Braun Bier/ ex polenta hordeacea & triticea confecta. Quæ verò crassioris sunt consistentiæ qualis Pragæ est Legeriana, Rakonicensis, Girkaviensis & ordinaria amara ex puro hordeo præparata non adeò sunt commendabiles. Pro pauperibus etiam potest admitti Cerevisia tenuis & secundaria, modo sit bene defœcata, quales hic in Bohemia habentur: das Frischbier die Patocken/ & Convent. In Moravia unicam habent Cerevisiam secundariam das hindere Bier cognominatam. Quibus etiam pro ratione statûs & personarum conditione vel noduli ex alexipharmacis temperatioribus immitti, aut in ipsa coctura, præsertim grana Juniperi & Radix Zedoariæ incoqui possunt. V. G. sit

Nodulus alexipharmacus Dimerbrok in Peste Neomagensi valdè expertus.

℞. Rad: petasitidis, dictamni aa. unc. 1. cortic. aurant. sicc. rad ostrut. angelic. aa. unc. iiß Herb. absinth. unc. jß centaur. minor. unc. 1. C. B. unc. iv. concisa & contusa includantur nodulo, qui immittatur in vas cerevisiæ novellæ ut una fermentet.

Aut

℞. Cort. aurant sicc. Lib. S. Herb. C. B. Scabios. Scordij aa. m. 1. absinth. m.ß. concisa includ. nodulo cerevisiæ novellæ immittendo.

Vinum quod lætificat cor hominis & ratione sui blandi acidi alexipharmacum & cordiale censendum cuivis admittendum, tristioribus, meticulosis & melancholicis usque ad hilaritatem præcipuè hyberno tempore, nemini usque ad ebrietatem. Non datur etenim præstantiùs roborans ipsô vinô, quod bonæ notæ temperatum, subtile spirituosum & mediæ ætatis est. Vini boni temperatus usus excitat naturam, promovet excretiones, calorem nativum fovet, omnémque ad putredinem dispositionem depellit. Si inter nostratia vina selectus faciendus, in Bohemia commendabilia sunt *Podskalense*, quod tamen rarum est, *Saleslense*, *Austense*, *Culmense*. *Litomericense*, *rubrum Melnicense* & pleráque Pragensia excepto

cepto Proſecenſi quod crudo ſulphure & tartaro multum abundat. In Moravia commendabilia ſunt Blatnicenſe, Lippovienſe z nowý Hory/ Wlcznovienſe ad Hunobrodam. Poleſchovienſe ad Welehradium Recenſe & Znoymenſe rubrum, atque per pauca quæ ad Confinia Auſtriæ creſcunt. Crudiora paſſim cenſentur. *Dirnholzenſe*, *Nuslovienſe*, *Marraticenſe* ad Hradiſtium & quædam alia per pauca. Ex Auſtriacis pleráque ſunt bonæ indolis præcipuè Biſenbergenſe, quæ verò acido ſulphureô abundant & caput feriunt, utì ex odore ipſo patebit bibenti omittenda. Inter externa meliora ſunt Rhenana & Herbipolenſia blandô acidô abundantia. Hungarica præcipuè Ebenburgenſe & Sancti Georgij, aliáque modo non ſint caſtigata. Quibus omnibus immitti vel omitti poſſunt tempore uſûs fruſtula ex toto citro aut limonijs deſumpta, aut ſimiliter utì cereviſiæ per infuſionem noduli medicari v. g.

Ex Minderero ſpecies pro vino expertæ.

℞. *Herb. Abſinth. vulg. miß ſcord. C. B. aa. mj. dictam. cret. mß Cort. citr. unc. ß rad. pimpinell. unc. iß. Inciſa includantur nodulo, qui immittatur ad urnam vini menſuræ moravicæ 52. Bohemicæ 32. pinetarum.*

Alius

Alius.

℞. *Summit. abſinth. m. iiij. fol. ſcord. m. ij. Rad. enul. camp. unc. iiij. cort. & ſem. citr. aa. unc. i. ſem. Carv. unc. iß. conciſa includantur nodulo, qui urnæ vini immittatur.* Uſus utriusque: Pro præſervatione manè in jentaculo vel jejuno ventriculo bonus hauſtus ſummendus.

Quæ potuum genera efferveſcentias præternaturales cauſare valent, & hinc maſſam circulantem ad miaſma peſtiferum ſuſcipiendum adaptant omittenda, qualia ſunt vina *Canaria, Hiſpanica, Italica dulcia, Hungarica cocta,* item *hydræ* & *mulſæ*. Quibus & cremata & aquæ vitæ omnis generis adnumerandæ, & hinc potiùs omittendæ, exceptis ſenibus, pituitoſis & conſvetis, hyberno imprimis tempore, aliquid ſed moderatè concedendum, præcipuè *Spiritus vini juniperinus rad. angelicæ, vel Zedoariæ*, quibus ſi quis abuſus fuerit, locò aquæ vitæ, aquam mortis & vehiculum ad æternitatem habebit. *Cibum* & *potum* utpotè præcipua ſequitur.

Somnus & vigilia, in quibus naturæ limites non excedendi, & neque per nimias vigilias ſpiritus diſſipandi, neque per immoderatum ſomnum iidem ſupprimendi & hebetandi.

Som-

Somnus meridianus utì nunquam adeò utilis, ità multò minùs in peste; excipiendi sunt infantes, debiles in statu convalescentiæ, decrepiti & senes, aut qui justô plùs vigilârunt, laborârunt aut studijs spiritus absumpserunt, aut multis annis ei assveti sunt. Imprimis plebeis prohibendum, nè nocturno tempore sub dio, ratione decidui roris maligni, aut de die sub radijs solaribus vel super fœnum somnum capessent.

Motus & *quies* similiter moderatè sibi succedant, gravis enim labor, & violentiora exercitia, quæ corpus nimiùm debilitant & aptum reddunt ad suscipiendum venenum, summopere vitanda. Observavít enim *Dimmerbrok* in peste Neomagensi statim post graves exercitationes, & magnas defatigationes multos correptos fuisse. *Quies* verò uti moderata est optima, ità nimia & desidiosa pessima. Optimè meo videri hæc definit *Aulus Gellius lib.* 11. *cap.* 2. *vita* inquit *humana propè uti ferrum est; si exerceas, conteritur, si non exerceas, tamẽ rubigo interficit: Itidem homines exercendo videmus conteri: si nihil exerceas inertia atque torpedo plus detrimenti facit quàm exercitatio.* Quoad



Excreta & *Retenta* talis commoderatio ad præservationem à lue pestifera observanda ut quæ

quæ excernenda ſunt, excernantur, retinenda verò omni ſtudio retineantur. Quemadmodum veró excrementitiarum ſuperfluitatum, atque repletionum varia exiſtunt genera ac differentiæ: ità quoque non eadem eorundem à natura evacuationi emunctoria videmus deſtinata. Præcipuè quæ hìc in conſiderationem veniunt ſunt, ut alvus in dies ſui memor ſit muneris, & ſi non ſuâ ſponte ſaltêm medicamentis. Superfluitates ſeroſæ in ſanguine per corporis peripheriam eliminandæ in quē uſum optimè faciet frequentior uſus infuſi *herb. ſcordij* & *veronicæ* in quo tincturæ bezoardicæ utpote valdè balſamicæ ad gt: xv. multùm præſervare poterit maſſam circulantem à labe peſtifera. *Tertium* excrementum eſt *ſaliva*, quæ tempore luis peſtiferæ & præcipuè dum nobis cum infectis negotium eſt, ex mente Excell. D. Doctor Dobrzensky *de Nigro Ponte quondam in hac Alma & Antiquiſſima Univerſitate multorum annorum Profeſſore Publico in Tr. à ſe edito de præſervativo univerſali & naturali*, nunquam deglutienda, ſed quantùm licèt exſpuenda, cùm miaſma peſtiferū ſe ſalivæ inſinuans & commiſcens, deglutita, ea quæ inventriculo invenit, inficit & vitioſas fermentationes & efferveſcentias in primis vijs hinc & maſſa circulante producit.

Prò-

Prout in dicto Tractatulo fundatè deductum reperire licet. *Quartum* excernendum est urina, cujus retentio superfluam humiditatem ad auget, ejus verò debita exoneratio naturæ levamen adducit. *Quintum* tandem excernendorum & retinendorum est semen, à cujus excretione potiùs abstinendum, vel saltem venere rariùs & moderatè utendum, ùt jam suprà diximus; utpote quæ vires resolvendo, corpora ad pestiferam labem suscipiendam, citissimè disponit, præcipuè in non assvetis. Quemadmodum observavit *Dimmerbrok* novos sponsos venere abutentes, citissimè correptos & interemptos fuisse. Verùm sicut in non assvetis plurimæ noxæ ab abusu veneris observati, ità in assvetis abstinentiã idem causâsse observavit *Cornarius lib. 1. de peste cap. 13. & Massaria de Peste.* unde medio tutissimus ibis. Quorum autem non interest venere uti, ijs salubriùs erit de ea nec cogitare. Ultimò rerum non naturalium ordine considerandæ nobis veniunt.

Animi affectiones sive *Pathemata*, quæ quanta possint in humanis corporibus scriptum reliquit *Plato* in principio *Charmidis fieri non potest* (inquit) *ut animo malè affecto non corpus etiam unà laboret, & rursus animus bene affectus vi sua, quoad fieri potest, optimum reddat corpus.*

Si

Si itáque ipſa animi vis corpus valet proſternere, quidni & peſtiferam luem, quæ omnibus corporis affectibus ſe de facili unit, corpus animô laborans aggredietur faciliùs, proſternet liberaliùs; Plurimæ ſunt animi affectiones duas tamen agnoſcentes ſcaturigines. Aliæ enim procedunt ab *appetitu concupiſcibili*, quales ſunt voluptas, dolor, deſiderium, fuga, amor, odium. Aliæ ab *Iraſcibili* quales ſunt Audacia Timor, ſpes, deſperatio & Ira. Aliæ *mixtæ* ab utroque appetitu participantes; uti pudor, miſericordia, invidia & gloriá. Ex his in peſte peſſima ſunt (I.) *Ira* affectus nocentiſſimus vitæ ac ſanitati hominis. Et (II.) huic contrarius animi motus *Terror*, de quibus *Galenus lib. de cauſ: ſymptom. cap. 5.* Ità ſcribit: *Eſt quædam ex primis & principaliſſimis motionibus ipſa naturalis caloris intrò foráſque dilatio, multas animi paſſiones ſequens, ſimul autem & ſpiritus & ſanguis modò intrò & ad principia feruntur ac contrahuntur, modò foras diſtenduntur & funduntur. Et licèt motus hos evidenter perſpicere cùm in alijs multis, tum in ipſis animi perturbationibus E. G. terrore & irá. Ille intrò ad principium ſpirituum & ſanguinem unà cum refrigeratione corporis ſuperficiaria ſubducit & contrahit; hæc verò foras agit, fundit & calefacit.*

Maxi-

Maximum verò animi & corporis tormentum (III.) est *timor tristitia & mæror*. Quemadmodùm enim lenis & suavis lætitia spiritus recreat, excitat, & sanguinis circulum promptum expeditum ac liberum reddit, insolens autem & nimis effusa spiritus admodum dissolvit & consumit, ità timor, tristitia & mœror, quæ angores & cruciatus animi sunt, sanguinem & spiritus à circumferentia ad centrum intrò compellit & supprimit, unde tristis facies & pallida, cutis constricta, transpiratio remissior, pulsus exilis & lentus, appetitûs imminutio somnus turbulentus & vires prostratæ. Hôc pactô si miasma & effluvium pestiferum taliter dispositum & ad sibi resistendum minùs armatum inveniat corpus facilimè idem prosternit. Proinde verè Christiano studendum de tranquillitate animi, quæ hocce præsertìm tempore in vera fide, sincera cordis pietate & fiducia erga DEUM fundata sit. Mens enim tranquilla summum hominis in hac vita bonum, utpote in tali statu posita, non tantum corpori, sed ratiocinationi quàm utilissimè inservit.

Quæstio I. *An longævitas SS. Patrum & Eremicolarum diætæ frugaliori adscribenda sit?*

Ratio dubitandi emergit ex textu sacro Ecclesiastici cap. 37. v. 34. qui ità habet: *Propter*

pter crapulam multi obierunt, qui autem abſti-nens eſt adjiciet vitam. Nos authoritatem Ec-cleſiaſtici venerantes, ſtatuimus longævitatem SS. Patrum & Eremitarum non ſoli diætæ fru-galiori, ſed magìs menti & animo tranquill- eſſe adſcribendam. Omnia enim illa qu- placidum, tranquillum & moderatum in ſpi-ritibus animalibus excitant motum, ad vitam ſanam & longam efficiendam ſunt aptiſſima: hoc autem præſtat mens tranquilla ſub mode-rato gaudio & amore temperato ac benè ordi-nato. Qualis enim eſt animus, talis ſpiritu-um motus, qualis ſpirituum motus, talis mo-tus cordis & anteriarum, tonùſque partium & qualis partium tonus, motúſque cordis & anteriarum, talis circulatio & excrementor- propulſio qualis circulatio & excernendoru- ſecretio talis ſanitas. Si enim mens placid- & tranquilla eſt, circa motus quoque vital- & excretorios in corpore omnia ſunt pacata & tranquilla. Itáque non ſinè ratione *Lucian-* longævis annumerat Philoſophos & omnes qui ingeniô & eruditione præſtantes fuerun- Ità etiam Plutarchus narrat, plures corpore a-lioquin parum firmo Philoſophiæ præcept- vitam longam conſecutos. Maximè omniu- autem vitam longam vixerunt, qui delectaba-tur ſtudijs, & quos orationis capiebat ornatu- Speculatio enim rei novæ & magnæ aut pu-

chræ ſuaviter ſpiritus oblectat. Quid autem pulchriùs, quid delectabilius, quàm uti SS. Patres & Eremitæ amore Divino mentem diſtrahere, & de Creatore ſuo atque Redemptore continuo cogitare, cujus (*S. Bernardo teste*) memoria, dat vera cordis gaudia, & nil canitur ſuavius, auditur nil jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm JESUS DEI Filius. Ergo non ſola diæta ſed plerúmque mens tranquilla efficit vitam longam, ſanam & ſummoperè morbis ipſiq́ue peſti reſiſtentem. Non enim legimus unquam SS. Patres aut Eremitas venenô peſtiferô licèt circa circum graſſante, affectos: *Plura qui cupit de potentia mentis adeat doctiſſimam diſſertationem Excellentiſſimi Fridericianæ Univerſitatis decoris Hoffmanni diſſert: de animo morborum fabro.*

A fonte diœtetico devenimus ad fontem *Chyrurgicum* ex quo tria nobis remedia pro præſervatione ſufficient, nempe: *venæ ſectio*, *ſcarificatio*, *& fonticulorum excitatio.* *Venæ ſectio*, ſicuti in infectorum curatione ſummè noxia, ità & in præſervatione minùs tuta, corpus enim debilitat & vires proſternit: quòd ſi tamen ob magnam plethoram aliquid de ſanguine detrahere opus foret, in parva id fiat quantitate & modica inciſione facta. Quæ debilitas cùm minûs metuenda ſit in ſcarifica-

tione, tutiùs ſcarificatio in neceſſitate & in corporibus conſuetis adminiſtrari poteſt. Tutiſſimum & neceſſarijſſimum omnium chyrurgicarum operationum eſt remedium *fontanellarum* excitatio; per quas abſque omni metu omnia ea, quæ à venæ ſectione aut ſcarificatione ſperantur, per eas acquiruntur. Obſervationibus enim docemur eos, qui fontanellas habuerunt, peſte correpti, miaſma venenoſum in circulantes humores ſe inſinuâſſe & deliteſcere, mediantibus quibuſdam puncturis, in fonticulis, ſenſêre: quapropter ſtatim aſſumptô ſudoriferô & alexipharmacô, citiſſimè liberati ſunt, natura per fonticulos atrum, ichoroſum quendam tabum expellente. Excitantur autem in brachijs vel ut plurimùm in cruribus, non unus ſed plures, qui toto peſtis tempore aperti ſervandi. Eadem ratione ulcera manantia non facilè admittunt peſtem, admiſſam verò ſub forma ichoris quàm citiſſimè emungunt è corpore.

Quæſtio I. *An ulcera Gallica ſive luis venereæ præſervent à Peſte?*

Reſpondeo affirmativè, authoritate *Paræi lib. de Peſte cap.* 17. in hæc verba ſcribentis: *Obſervavi enim eos peſte minùs tentari, quibus cancri ſunt ulcerati, quibus nares fœdâ ozenâ diffluunt, lue venerea, abſceſſibus, & ulceribus fœ-*

dis

dis correptos, scrophulosos, elephantiacos, leprosos, scabiosos: omnes denique quibus ulcera sunt in corpore fistulosa & fluentia. Rationem addens: *Quòd multam congestæ cacochymiæ excretionem faciant,* Addimus nos ob acre acidum fixum venereum in sanguine delitescens venenum, cruorem cæteròsq; una circulantes humores resistere veneno pestifero, sicque unum venenum eludit alterum, & licèt susceptum intrà corpus fuerit per fœda ulcera eliminatur denuò

Ultimus fons ex quo pro præservatione corporis humani à veneno pestifero materia remediorum depromitur est *fons pharmaceuticus* quia autem in præservatione nil aliud Medicus intendit, quàm corpus defendere à veneni insultu, roborare verò & sollicitare ad motus, excretionésque augendas, ut noxiæ superfluitates in corporibus retentæ tempestivè eliminari valeant, si non ope naturæ saltêm ope medicamenti lenientis & blandè subducentis, non verò catharticis & electivis, in quem finem bis vel ter IV. grana de pilulis pestilentiali. Ruffi ad noctem exhibendæ, aut pilulæ antipestilentiales Dimerbrok, aloëticæ aut pil: antipestilent: Craton: aut sequens potiuncula laxans Barbette.



℞. Rhabarbari elect. Drach: j. ß fol: senn. S. st. Drach: ij. Crem: Tart: Drach: ß. vel Drach. j. Rad. Scorzoner: unc. ß. sem. arnisi Drach: ß. Infunde per noctem in aqu. C. B. manè coque ad dissolution. Tartar. & cola. In colatur. unc. iij. dissolve syrup. de cibor. cum Rhabar: Drach: VI. spirit: sal. salis parum, Confect. alkerm. scrup. 1. M. F. haustus.

Qui vero adeò cacochymici non sunt & ex robore naturæ alvum liberam habeant, ea taliter conservanda, sed non fluida reddenda.

Præmissâ vel omissâ aut interpolatâ levi subductione corpus defendendum & præservandum; optimum autem ante omnia considerabile præservativum est nunquam se se jejunum extra domum committere, sed aliquô alexipharmacô & antidotô prius se præmunire. Illa verò antidota sunt vel *externa* vel *interna*.

Inter præcipua interna est acetum imprimis alexipharmacum ex infusione *Rad: Zedoar: contrajervæ, cinnamom. ZZ. rad. petasitidis Scorzoneræ, Serpentariæ flor: calendul: rosarum, &c.* De tali & simili aceto manè jejunô stomachô, aut post sumptum jusculum, unum alterúmve cochlear præservationis gratiâ assumatur, nunquam enim jejunum egredi domo oportet.

Inter

Inter aceta composita sunt: *acetum prophilacticum Kircheri*, quod componitur *ex ruta, pimpinella, betonica, nucibus juglandibus, allio & baccis juniperi* quibus additur paululum *camphoræ* si suppetat, si veró non suppetat paululum *spodij cervini* quæ infundantur in aceto vini & digerantur 40. horarum spatiô in sole vel hyppocausto. Colatum servetur usui. Dosis cochlear unum jejunô stomachô: Miris landibus hoc acetum extollit *cit. V. P. Kirtherus m. fol. 129.*

Item aqua sive acetum prophilacticum Sylvij & Barbette utpote longo jam usu & experientiâ comprobatum. *Ex Perillustri Spectabili & Excellentissimo omnibus titulis honorando Domino Præside* habeo, in peste annô 1680. in Bohemia grassante solô hoc acetô & fumô tabacæ se feliciter præservasse, & in alijs effectum non minorem expertum fuisse. Compositio ejus est hæc:

℞, *Rad. Angelicæ, Zedoariæ aa. unc. 1. petasitid. unc. ij, folior. rutæ hort: unc. iiij. meliss. scabios: Flor. calendul. aa. unc. ij. nuc, jugland. immatur. concis. lb. ii. pomor. citri recent. lb. j. Contundantur omnia & affundatur aceti vini optimi ex arena in cucurbita vitrea ad tres quartas partes destill. lb. XII. tum per noctem digesta*

manè destillent leni cinerum igne ad siccitatem ferè specierum, cavendo tamen empyreuma & acetum prolectum servetur usui.

Vel quod simplicius est.

℞. *Baccar. juniper. vel heder. arbor. part. iv. myrrh: part. 1. infunde in aceto hinc filtretur & impraegnetur cum camphora.*

Hæc tamen acida ijs quorum pulmones sunt affecti minùs prosunt, proinde distinctio facienda.

Post acida optima sunt sulphurea, tam vegetabilia, quàm mineralia, balsamica vi corpus defendentia. Hinc *Sulphur. commune* aut *in flores* redactum est egregium vel solum vel pani butyrato inspersum & manducatum, aut quod melius est, si aliquid addatur de *myrrha succino & camphora*. Ex quibus fit v. g. pulvis sequens præservatorius.

℞. *Flor. Sulphur Drach. iij. myrrh. elect. drach: ij. aloës drach. j. Croci drach. ß. camph. scrup. j. M. F. pulv. de quo omni manè assumatur drach. ß. in aceto vini simpl. vel acet rutaceo.*

Ex hoc additô Sacharô, conserva pulpæ citri

tri fieri poteſt bolus, ſinè ſacharo electuarium additâ aliquâ aquâ in qua ſachar: diſſolvatur morſelli & ſimiles formulæ pro beneplacito patientis; aut fiant morſuli præſervatorij ſequentes;

℞. Conſerv. pulp. citri unc. j. vel unc. j. ß. theriac. andromach. drach. ij. vel iij. terræ ſigill. C.C. ſinè igne, antimon. diaphor. aa. drach. ij. C. S. q. Sachar. in aqu. ſcord: ſolut. f. morſuli tempore uſûs aliquot gt. olei antipeſtilentialis Heiniſij irrorandi.

His accedit Electuarium Regis Mithridatij conſtans ex *duabus nucibus juglandibus ſiccis. Ficubus totidem rutæ folijs viginti & pauco ſale* ſimul tritis & in formam electuarij redactis. *Jacobus Sylvius libr. de peſte* narrat Monſpeſſulanos ſe à peſte præſervâſſe hocce remedio ſimplici. Recipiebant ficum, cui per medium diſſectæ dimidiam nucem juglandem veterem & quinque aut ſex ſolia rutæ impoſuerunt, ſícque ficum comederunt. Eſt autem hoc remedium antiquiſſimum quod *Plinius* Mithridatis Regis devicti, arcanum fuiſſe aſſerit. *Joël* ex ficubus ſequens Electuarium recommendat:

℞. *Ficuum pinguium unc. iiij nucleor. jugland. à pellicul. purgat. unc. ij. rutæ fol. virid. unc. j. H. ſcord. C. B. aa. unc. ij. aceti pauxillum f. S. A. Electuarium.*

Horſtius ex *Galeno* recommendat Electuarium, quod Theriacam domeſticam appellat: quod ſic habet:

℞. *Gran. juniper. ño. xxvi. fol. rut. ño. xx. Caricar. pingv. ño. ij. nucum jugland. excort. & purificat. ño. iij. in aceto vini macerentur, & contundantur ad formam Electuarij.* Quod avellanæ magnitudine quotidie jejuno ventriculo contra peſtem ſumitur.

Potens eſt præſervativum *Pulvis ex pipere Creta colonienſi & ſale Scorpionum* confectus & ad pauca grana datus ter vel quater repetitus deſuper ſudando.

pauperes *grana juniperi* ſola macerant in aceto vini & matutino tempore antequàm è domo exeant cochlear unum ſumunt. Alij piſi magnitudine *camphoram* accendunt, immittunt vino, & ebibunt. Alij ſolam *radicem helenij* manducant, alij *panem cum butyro & folijs rutæ* comendunt. Alij cum fructu

Rad.

Rad. Zedoariæ maſticant & deglutiunt vel ſalivam frequentiùs exſpuunt. Alij *tinct. bezoard. mixtur: ſimplicem mithridatium, electuarium de ovo* & quod his præfertur *Electuar. diaſcord. fracaſt.* in aceto aſſumunt & ſe præmuniunt. Pro Infantibus *Perill: Spec. & Excellentiſſimus D. D. Præſes* per propriam experientiam comprobatum laudat, pulverem. *Ex bolo armen a cum pauxillo rad. tormentillæ & cortic. citr. condit.* qui cibis & pulticulæ eorum inſpergendus. Plura tam ſimplicia & compoſita in additionibus congeſſit Dimmerbrok. Hoc ſaltem eſt principale, quod jam frequentiùs monuimus non excedere jejunum domo.

Antidota interna ſequuntur externa, inter quæ eminent ex camphora & aceto parata odoramenta; ea verò quæ Moſchus & Zibethum ingreditur non ſunt convenientia, hinc globulus ex ligno hederæ arboreæ factus aut Strophium Spiritu vini camphorato imbutum & ſæpiùs naribus ad motum egregium eſt. eſt. Imò ſolum acetum ſimplex aut rutaceum aut calendulatum in hunc uſum tractum optimam præſtat opem. *Dimmerbrok* recommendat aquam ſequentem.

℞. *Aceti theriacal. vini Rhenani odoriferi,*

aqu.

aqu. rosar. aa. unc. i. camph. ſcrup. i. vel ſcrupl. iß. M.

Item *Radix angelicæ, ZZ. helenij Imperatoriæ, cortices citri* in aceto macerati, ore detenti & maſticati multum præſervant. *Etmüller* recommendat ſequentes trochiſcos ſublinguales,

℞. *Sachar. cum corticib. aurantior. triti unc. 1. ad ij. myrrhæ Drach. i. camphor. ſcrup. i. cum mucilag. tragacanth. f. paſtilli irrorandi ol. deſtillati ſuccin. gt: x. ol. cort. citri gt: vij ol. angelic. & Zedoar. aa. gt. vj. uſus*: unus altérve paſtillus ponatur ſub linguam.

Si Balſamus pro illinendis temporibus, carpis manuum & præcordijs expetatur, proderit *Dimmerbrok balſamus expertus* ſequens.

℞. *Theriacæ andromachi drach. 1. camph. gr. ix. ol. nucis moſchat, expreß. axungiæ ſerpent. aa Scrup. ij. ol. ſuccin. ol. rut. aa. ſcrup, ß. ol. cinnamom. caryophill. aa. gt. 1. ol. cort. citri gt. v. M. f. linimentum.*

Aut balſamus *apoplecticus cum camphora* imprægnetur, vel *ol. Juniperi* ſocietur *camphoræ* vel

℞. Ol.

℞. Ol. destill. baccar. Juniperi drach. ij. ol. destill. angel. cortic. citr. rutæ & succini aa. drach. 1. camph, scrup. 1. M. fiat balsamus præservativus.

Ex Consilio *Perillust. Spect. & Excel. DD. Præsidis*, Regio cordis, labia, nares, aures & digiti manuum item & carpi manuum *oleô scorpionum Mathioli* in ungenda.

De amuletis in peste multi multa narrant, quæ tamen à plerísque præsertim Dimmerbrok tanquam teste oculato inutilia in praxi inventa sunt. Helmont facit distinctionem miasmatis sive gas pestiferi, quod aliud sit terrestre è terræ cavernis prodiens, cui appropriatum ammuletum opponit *buffones* exsiccatos & collo appensos. Si verò sit gas aëreum *araneas* exsiccatas, syndoni inclusas & collo appensas, buffonibus præfert.

Q. I. *An amuleta quæcunque, salvâ conscientiâ pro præservatione quorumvis morborum à Medico svaderi possint?*

Respondemus salvâ conscientiâ amuleta pro præservatione quorumvis morborum à Medico svaderi non posse, præcipuè in morbis à causa interna ortum ducentibus v. g. Quando in Erysipelate recommendatur aureus

cikin

cikin dictus de collo suspensus & plura similia. Ratio nostræ decisionis est, cùm in morbis internis, per amuleta, si quæ tamen verè talia dantur, causæ proruptio & effectus qui alias ab intro foras propelli solet inhibeatur, non verò causæ generatio præcaveatur, evenire facilè potest, ut quod effectum suum extra corpus cum euphoria ægri fecisset & propulisset, ad intro detentum & per amuletum retropulsum, causæ internæ supperadditum, interdum eam intendit, maligniorémque reddit, & ægrum se præservare volentem interimit. In morbis verò causam externam & procatharticam agnoscentibus v. g. in peste, amuleta naturalia, quamvìs plurima exiguas vires emittant, vel saltèm non tantas habeant, quantas varij illis adscribunt, quia tamen aliqualiter prodesse experientiâ constat, præter naturales & defensivas quas habent vires, eâtenus quoque utilia sunt quòd multis animositatem, spem & aliqualem fiduciam, metúmque ac terrorem in pestilenti constitutione maximè noxium auferant; Et hac etiam ratione in morbis alijs salvâ conscientiâ concedi possunt, si Medicus causam internam & proximam per debita medicamenta interna oppugnare non desistat. Plura qui cupit de amuletis *adeat opuscula Bartholini de unicornu, lapide*

pide nephritico & amuletis præcipuis. Erasti disput. de Ambuletis. Follini Amuletum Antonianum. Reichelti exercit. de ambulet. Helmont. de amulet. V. P. Kircherum. in scrut. Pest. Dimmerbrok de amulet. externis & Rajes in campo Elyseo diversar. quæstionum.

Quemadmodum Regis ad exemplum totus componitur orbis, sic in pestilentiali constitutione omnes mortem metuentes oculos admirabundi in Medicum conjiciunt, videntes, qui tot adiret peste infectos, tamen rariùs ipse læderetur. Proindè Medicus sit cordatus minimè mortem, multò minùs visitationem ægrotantium & peste infectorum expavescens, nullis animi motibus succumbens, ante omnia præ oculis Deum habens, vestitu minùs poroso & plicato utatur, idque vel ex serico tenuiore, vel undulato, vel satino, vel lana camelina, vel lana bombacina, vel excorio tenui, vel tela cerata von gewixter Leinwand/quem etiam vestitum semper mundum teneat & indies novô utatur indusiô, prius granis juniperi perfumato. Manè factis ad Deum precibus aliquod alexipharmacum assumat, vel *aquam prophylacticam Sylvij* quàm superiùs ex mente *Perill. Spect. & Excell.* DD. *Præsidis* recommendavimus, vel *Mythridatium*, vel *diascordium Fracastorei*, & alia superiùs enarrata.

Pa-

Patientes adiens, radicem Zedoariæ ore gestet, & salivam indê prolectam diligenter exspuat. Pulsum tangens non remoretur manum infecti diu continere & contrectare. Et pro meliori securitate suadet *Perill. Spect. & Excell: Præses* in unctionem pulpæ digitorum, qua tangitur pulsus, oleo scorpionum Mathioli. Cum patiente locuturus modicum ad partem recedat nè halitus infecti rectà ad eum tendat, interdum etiam facem ardentem præseferat, fumare tabacam frequentiùs de die non obliviscatur, quo se *Dimmerbtok* & ex eo *Perillustris Spect. & Excell. DD. Præses* multùm præservavit. In prandio vel cœna bonis & eupeptis utatur cibis; *vinum* non ad ebrietatem sed bene ad hilaritatem bibat, cæterùm DEO coñendatus & in fiducia, Christianum se esse memorando diligenter proximo inserviat. *Vid. Dimmerbrok De suo ipsius vivendi modo.* Et hæc de præservatione sufficiant.

THESIS XI.

De curatione actuali Peste infectorum.

PRæmissa aliquali præservatione & remedijs ad eam pertinentibus, ex triplici

plici fonte deſumptis, pergimus ad levamen ferendum actu lue peſtifera infectis, ipſámque actualem curationem, quæ tanto difficilior exiſtit, quantò minùs univerſale adeſt contra hanc hydram Lernæam antidotum. Zenechton Paracelſi earum non eſt virium, ut omni peſti ſua occulta & ab authore ei applicata qualitate, reſtitiſſet. Nec Sepulchretum Helmontij hucuſque paratum eſt, ſed indies oculatiorem & Sagaciorem expectat artificem, qui inceptum laborem fauſto omine compleret, ut quantocyus peſtis adhuc in incunabulis contumulari poſſet: ſed in defectu hujus pretioſiſſimi ſecreti, tam à Majoribus noſtris viris profectò in arte peritiſſimis, quàm à Modernis quantumvìs ſagaciſſimis, hactenùs ſemper ad *cardiaca*, quæ cor tuentur & roborant, ut & ad communia venenorum alexipharmaca concurſum eſt, & cùm peſtis venenum ferè imperſcrutabile, ſed jam coagulativa, jam reſolutiva vi & qualitate polleret, ut curarent Anteceſſores oculatiſſimi, formidabilem hancce luem plurimorum venenorum antidota, analogicè ſimul miſcuerunt: atque ea ratione multa egregia ad peſtem inventa ſunt remedia, etſi verum ſpecificum & quod totius ſubſtantiæ (ut ità dicam) ſuæ viribus ei adverſetur, hucuſque lateat.

 Nos

Nos communiorem & præcipuè eorum qui sæpiùs Pestibus interfuerunt, sequentes methodum, statuimus curam pestis potissimùm consistere in legitimo usu sudoriferorum. Accedens igitur Medicus ad infectum, invocatô priùs Divinô Auxilio, cubicula in quibus decumbunt ægri nitida servare jubeat & primis tribus, quatuorvé diebus occlusa teneri, ut accessus aëris frigidioris ad ægrum impediatur. Quòd si tamen fætor urgeret fenestra versùs orientem aut septemtrionem per horæ quadrantem, semel aut bis de die aperta relinqui potest ità tamen ut æger benè tectus servetur: hoc in aditu ipso observato, statim alexipharmaca & sudorifera quòad fieri potest selectiora exhibeat (sive in ipso morbi principio sive secunda, tertiáve die advocetur) & præprimis illa quæ camphoram continent: hæc enim est cuneus omnium morborum malignorum. Non solùm verò augenda est dosis sudoriferorum, verùm etiam exhibeantur frequentiùs, saltèm omni octihorio, constat enim, quòd quantùmvis visum fuerit, morbum remisisse, facilè denuò recruduit, manente etiam minimâ particulâ miasmatis fermentescibilis. Habendus tamen semper respectus virium ideóque nec nimiùm protrahendus sudor, nec nimiùm obruendus æger stragulis. Si verò

ægri

ægri ſint virium conſtantium, & morbus ſit à principio, ijs, bene ſtragulis coopertis copioſus per duas tréſve horas promovendus ſudor, qui ſi difficiliùs prodiret, lagena ſtannea aqua calida impleta pedibus & lapis calefactus abdomini applicandus, aut ſecundùm *Dimerbrok* arena calefacta ſicca lineis infuſa ſaccis pedibus, axillis & inquinibus admovenda. Aut ex mente *Ettmülleri* panis libo parvus adhuc calens inferiùs à cruſta liberatus ad magnitudinem floreni, foramine modico facto, implendus *theriaca* aut *ſpiritu vini camphorato*, & ità ut foramen corticis denudati umbilicus ſubintret, abdomini apponendus.

Inter ſudandum colloquijs diſtrahendi ægri nè obdormiant, atque pro eodem ſcopo ſæpiùs acetum roſaceum, calendulatum, rutaceum aut aliud alexipharmacum naribus odorandum ægro offerendum. Si primùm medicamentum vomitu rejiceretur, alterum & neceſſitate urgente etiam tertium propinandum. Vexante verò ægros vomitu in tantùm ut remedia aſſumpta retinere nequeant, externè per panem calidum theriaca aut ſpiritu vini camphorato repletum, ægro ſuccurendum. Abſoluto ſudore ægri, mappa aut alijs linteis calefactis & priùs ſuffumigatis cum *pulvere fumali antipeſtilentiali* vel *ſuccini*, *ſulphuris*

& *myrrhæ*, &c. Sub tegmine & pulvinari detergendi. Indusia verò ante diem septimum nullatenùs renovare suadet *Dimmerbrok* quòd si tamen ægri nimiùm nausearent, indusia aliqualiter jam usurpata, induant, minimè noviter lota. Wratislavienses in Consilio suo Medico suadent, ut decocto absinthij indusia laventur, lavata & exsiccata ad fornacem myrrha aut pulvere pyrio aut alio antipestilentiali fumô suffumigentur & post quemvis sudorem novum indusium detur. Accedit traditum *Præn: & Excellentissimi D. D. Cassini Professoris honorandissimi in praxi manuscripta* suadentis si possibile foret, etiam stragulorum mutationem post sudorem. Cavendo tamen externè licet frigidusculum tantùm aërem. Si à primo sudore non levarentur ægri, finitis ab exhibitione primi sudoriferi horis octo, aliud detur, & post horas octo tertium. Finito sudore semper languentes ægri refocillandi cordialibus acidis: hæc enim sanguinem attenuatum & resolutum, constringunt atque moderatè coagulant. Talia sunt: *Succus citri*, *cydomiorum*, *acetum bezoardicum*, *spirit: nitri dulc. vinum acidulum*, *acetum theriacale cum aqua carbunculi temperatum*. Aut fiat decoctum sequens:

℞. *Dec*

℞. *Decocti Citri Mynſ: lb. i. Syrup. rub. idæi q. S. pro grato ſapore Spir: nitr. dulc. parum. fiat Julepus & detur.*

Aut ubi Sudor per ſalia volatilia prolectus & inde aliqualiter ægri debiles facti.

℞. *Decoct. CC. vel Citri Minſ: lb. i. Succi Citri vel ribium & granator: acidor aa. unc. i. ad unc. j. ß. Electuar. diaſcord. Fracaſt: drach. ij. Syrup. rub. idei. drach. ij. Spirit. nitr. dulc. parum. M. detur cochleatim.*

Aut detur mixtura ſequens.

℞. *Aq. Galegæ, Scorzoner: & cord. Hercul. Saxon. aa. unc. i. Succi Citr. cydon: aa. drach. VI Spirit. theriacal. camph. drach. iij Tinct. flor. aquileg. & flor. pæon. aa. drach. i. ß. Syrup. acetoſ. citr. unc. ß. ſpirit. nitr: dulc. q. S. M. detur cochleatim.*

Si electuarium placet.

℞. *Conſerv. acetoſell. vel rad. Scorzo-*

neræ & pulp. citri aa. unc. j. rob. ribium Drach. VI. Confect. alcherm. drach. j. ß. C. Syrup. acetosit. citri aut rubi idæi qu. S. F. electuarium.

Hæc & similia acidula. Simul alexipharmaca, Sudorifera & cordialia post sudorem locum habent.

In principio quoque vomitoria nonnunquam conveniunt, præcipuè si contagium per os assumptum fuerit & nausea adsit, his tamen alexipharmaca addenda: si verò non adsit nausea, non adeò tuta sunt vomitoria, prosternunt enim potenter vires. Purgantia ante septimum diem, licet alvus esset clausa penitùs proscribantur: imò neque clysteribus utendum, finitâ enim die septima & ægro convalescente una alteráve pilula *pestil. Ruffi*, aut alia specifica exhiberi poterit. Excipit *Mindererus* pestem quæ à corruptis alimentis, annonáque immediatè procedit. eoque tempore etiam à principio purgantia locum habere asserit.

Venæsectio itidem in peste periculosa, proinde nec in usum trahenda.

Quòad materiam remediorum seligendam notandum, si febris ardens pesti juncta sit, amati-

romatica, theriacalia & volatilia absint, sed locò horum in usu sint antimonialia fixa & salia lixivialia, aut ex theriacalibus *Electuar. Diascord. Fracator.* in aceto sumptum: Quanquam acida nunquam omittenda, tam locò vehiculorum, quàm declinante sudore & post sudorem pro refectione, junctis blandissimis diaphoreticis propinanda.

Quod attinet remedia ipsa, hic imprimìs omnia illa adhibenda, quæ malignitati resistunt, & ùt dictum, faciendo distinctionem inter volatilia & fixa. (I.) *Volatilia* sunt vel *macra* seu salina ferè frigida, vel *aromatica* seu oleosa ferè amara calida. Macra sunt: Spiritus & salia volatilia urinosa ex animalibus desumpta, ùt *Spirit: Sal: ammon: Spirit: & Sal volatile C. C. viperarum. Tartar. urinæ liquor, C. C. succinnat' spirit. & sal volatile succini, &c.* Item *acetum, succus citri, elyssi sulphurei*, qui tamen magìs in potu sunt usitati. *Oleosa volatilia* sunt *camphora*, quæ omnium optima, omnia aromatica, sudorifeta, ùt *Zedoaria, centaur. min. rob. baccar. juniperi & sambuci*; Item olea distillata, ùt *Ol: succini, citri camphoræ. C. C. tartari, &c. Essentia theriacalis camphorata, & anodyna, Elexir alliatum oleum pestilentiale Heinisij* quod in præservatione exhibetur à gt. 5. ad 6. in curatione à gt. 6. ad

15 magnarum certè virium & non ſatis ab Authoribus dilaudatum, experientiâ verò *Perill. Spectab. Clariſſ. & Excell. D. D. Præſidis* peſte An: 1680. in Bohemia graſſante abunde comprobatum. Huic accedit *Ol: peſtilentiale Crollij, Elexir proprietatis Eſſent. Zedoar. ſcordij, abſinthij C. B. Croci, Baccar. juniperi, cinnamomi, myrrhæ, ſuccini, viperarum, caſtorei, tormentillæ, gentianæ, rutæ, vincetoxici, meliſſæ, &c. aceta bezoardica Zedoariæ* &c. *Tinctura bezoardica* tanquàm optima deprædicatur. (II.) *Fixa* ſunt vel mineralia vel animalia. *Mineralia* ſunt ſulphurea metallica cum nitro fixata in ſpecie *antimon. diaphoret: aurum diaphoret. cinnabar: nativ: & antimon:* (quæ nobiliſſima) & bezoardica mineralia quælibet tam ſimplicia, quàm cum alijs compoſita in ſpecie *Bezeoardicum joviale, ſolare & minerale.* Item *terræ minarales ſigillatæ, unicornu foſſile terra ſolaris, corallia flor: Sulph,* item *nitr. &* omnia nitrata *nitrum perlatum antimoniat. Animalia* ſuggerunt partes duras oſſeas tam uſtas quàm philoſophicè præparatas, ùt *C. C. Ebur.* cum vel ſinè igne. *C. C. Solare unicor. verum pp. lapid: animalium Bezoardici, lapis pretioſ. de Goa & pulveres viperini.*

Temperara & mediæ quaſi naturæ magìs in febribus malignis, petechialibus & peſti-

len-

lentibus usitata sunt: *Gelatina C. C.* & *semina expulsiva dicta C. B. napi, aquilegiæ, nasturtij, citri*; quibus *additis amygdalis* & diaphoretico aliquo, quando ad excretionem cutaneam natura vergit, fiunt emulsiones valdè proficuæ.

Consideratâ materiâ remediorum volatili vel fixa jam redimus ad ordinaria alexipharmaca & cordialia ex triplici regno desumpta. *Ex Regno vegetabili* sunt Rad: *Galangæ, Scorzoneræ, Zedoar. gentian. altij, aristolochiæ rotundæ, angelicæ, petasitidis, imperatoriæ, succisæ, chelidoniæ majoris, valerianæ, enulæ, vincetoxici, bistortæ, levistici, ulmariæ, contrajervæ, anthoræ, carlinæ, dictamni, eryngij & calami aromatici.* Herbæ & folia: *Diptamni Cret, galegæ. C. B. acetos: scabios. scord. nost. & cret. paridis, rutæ, veronicæ tanacet. pimpinell. scorzoneræ, plantaginis, abrotani, rosmarini, melissæ, morsûs diaboli, verbenæ, marrubij albi acetos: borraginis, bugloss: betonicæ. artemisiæ & hederæ terrestris.* Flores: *quatuor Cordiales*, quibus meritò addendi *flores calendulæ, hyperici, salviæ, betonicæ, aquileg. & Croci.* *Itèm stæchados. rosar. balaustior. nymphææ & sambuci.* Semina: *Acetosæ, cochleariæ, angelicæ, melissæ, aquilegiæ, napi, citri, C. B. coreandri & 4. frigida majori.* Cortices *citri & & aurantiorum*, fructus *Berberis, Ribesij rubri.*

poma cydonia, citrea & ex citro pp. qualia sunt: syrup. acetosit. citri. syrup. de citro composit. & decoct. citri Mins. poma Aurantia, granata baccæ paridis, Juniperi & hederæ arboreæ. Succi: *Omphacium. Vinum acidulum* quale est Rhenanum, *acetum vini simplex & sambucinum, calendulatum aut rosaceum, succus citri & pomor. aurantiorum.* Aromata: *Nux moschata, macis, Caryophilli, cinnammom. santala omnia, lignum sassafras & Cardamomum.*

Ex Regno Animali offert se imprimis *Cervus* totus alexipharmacus & ex eo pp. utì C. C. *cum & S. igne ad drach.ß vel drach. 1. spirit.* C. C. *à drach.ß ad drach.* 1. *sal. volatil.* C. C. *à gr. V. ad scrup.* 1. *Liquor.* C. C. *succin. à gt. 20. ad 30.* Itèm *vipera* & indè *sal volatile* elicitum. *Et Lapides bezoardici animales.*

Ex Regno Minerali potentiùs remedium vix habetur *sulphure* & ex eo varia *pp. cinnabarina. flores sulphur. pulvis pyrius &c.* Huic succedit *succinum*, ejúsque *sal volatil.* Et *Myrrha.* Huc etiam pertinent *Bolus armena, & terræ sigillatæ variæ Item: spiritus minerales acidi ùt Spirit. vitriol. sulphur. per campan. nitri Dulcif. tinct. bezoardi mixtur. simplex spirit. theriacal. camphorat. à drach.ß ad drah. 1. spirit, fuliginis urinosus à drach.ß ad drach. 1.*

Inter præparata Pharmaceutica eminet E-

lectuar.

lectuar. diascord. Fracastor. à scrup. I. drach. I. drach. iß ad drach. ij. in aq. appropriata cum aceto bezoard. mixta assumptum. *Pulvis Saxonicus ad drach.ß Pulvis pannonicus August. & Correctus franchimontij ad drach. I. etiam drach. iß. Oleum pestilentiale Heinisij & Elexir pestilentiale Crollij.* Inter communiora sunt: Aquæ destillatæ: C. B. *acetosæ, borraginis, scabiosæ, rosar, & cinnammom.* Varij pp. pulveres & species imprimis *pulveres viperini, aromat. rosat. de gemmis frigid. liberant. ocul. Cancr. &c.* Salia C. B. *Absinthij, scordij, rutæ, angelicæ, & prunellæ.* Extracta C. B. *Petasitidis; rutæ, & angelicæ.* Syrup. *Granatorum acidor. cydonior. acetosell. acetos. scordij & è succo citri.* Olea: *Succini, Juniperi, nucis moschatæ, cinnammomi, vitrioli, sulphur, baccar. lauri. Scorpionum simplex & magnum Mathioli.* Conservæ *flor. Anthos Melissæ, Absynthij, Rosar. flor. Calendul. borraginis, & flor. buglosf.* Condita: *cortices citri: Limonum & Aurantiorum. Rad. helenij, eryngij, calami aromatici & Z.Z. in India conditi cydonia condita, myva cydon. Rob. ribesiorum rubror. berber. & accaciæ.* Trochisci *de viperis, de camphora, de terra sigillata.* Electuarium sive Rob *Juniperinum* & *Sambucinum. Confectio alcherm. & de hyacinth. S. mosch. Theriaca Andromachi, Mithridatium &c.*

Ex

Ex his & quàm plurimis alijs proſtant formulæ apud Authores propè innumeræ, quòd ſi tamen ex tempore alicui libuerit aliquam concinnare compoſitionẽ probè attendendam cautelam ſvademus, an nempe à principio adſit febris? vel ut malunt alij cauſa ſit reſolutiva humores circulantes? & tunc ordinanda fixa & terrea. An verò ſine febre? ſivè à cauſa coagulativa & tunc volatilia fixis & terreis anteponenda. Nos ſaltem paucula Authorum Remedia & jam à varijs peſtibus experta apponemus.

Electuarium Anti-peſtilentiale Roſenkreützeri.

℞. *Rob Juniperi unc. iij. Elect. de ovo. Mythridatij aa. unc. jß. Theriac. unc. ß. flor. ſulphur. unc. iß. thuris albiſſimi drach. vj. myrrh drach. iij. Camphor. drach. ij. croci drach. ß. Succi Citri unc. iß. vel. c. S. q. f. Electuarium.*

Doſis in præſervatione drach. ſs. ſeu quantum capit cultelli cuſpis, in cura verò à *ſcrup. iv. ad drach. iß.* exhibetur in *Aq. C. B. acetoſ. aa. unc. 1. & therical. unc. ß. M.*

Electuarium Anti-peſtilentiale Michaëlis.

℞. *Specier. alexiter. unc. iß. pulv. Saxon. unc. ß. theriacæ optimæ, mithridat.*

Elect.

Elect. diascord. Fracastor. vel de ovo aa. unc. 1. flor. sulphur. unc. ß. ad drach. vi. camphor. drach. iijß. olei pestilent. Crollij drach. i.ß. ol. succin. & citri aa. scrup. I. adij syrup. de succo scordij q. S. f. Electuarium.

Dosis in præservatione drah. ſs in Curatione à drach. iſs. ad drach. ij. Hôc ipsô multos milites à malignis & pestilentialibus febribus fuisse salvatos asserit *Ettmüller.*

Electuarium Anti-Pestilentiale Unzeri.

℞. Theriacæ Andromachi scrup. ij. ad drach. 1. flor. sulph. scrup. 1. camph. gr. xv. M. pro dosi in infecto.

Potio Anti-pestilentialis ejusdem.

℞. Aq. vitæ S. Spirit. theriacal. drach. vi. ad unc. 1. Croci ad quantitatem ciceris, camphoræ drach. ß. M.

Detur tota adulto, juveni dimidia, super bibendo haustum aquæ C. Benedicti.

Aqua Theriacalis Anti-Pestilentialis Dimmerbrok.

℞. Ru-

℞. Ruthæ viridis, meliss. aa. lib ß. Absynthy sicci concisi ac non nihil contusi, C. B. sicc. aa. lib. ij. aq. Communis q. S. macerentur & stent.in infusione propè ignem per 10. vel 12. dies, quotidie baculo ligneo bis terve agitentur, postea destillentur. Ex fœcibus autem combustis una cum menstruo residuo priùs exsiccatis extrahatur sal, cujus salis defectu potest simile sal compositum fieri ex sale absynthij, melissæ, Cardui B. & ruthæ aa. p. æq. simul mistis.
Usus hujus aquæ.

℞. Aquæ prædictæ unc. ij. salis dicti drach. ß. ol. vitriol. gt. xij. aut xv. M. f. haustus pro dosi à principio infectionis.

Aqua Theriacalis ejusdem fortior.

℞. Rad. ostrutij, petasitidis, angelicæ, carlinæ, valerianæ aa. unc. ijß. Enul. campan. cort. aurantior. siccator. aa. unc. iij. Herbar. scordij, absynthij aa. unc. ij. C. B. unc. iij. flor. rosar. rubrar. unc. ß. flor. stæchad. drach. iij. baccar. Juniper. unc. ijß.

gra-

granor. cardamom. minor. drach. v. Cinnam. Elect. unc. 1. Concis. & contus. affundatur in cantharo lapideo.

Vini albi Rhenani vel Gallici tenuis lib. xxij. aq. rosar. lib. ij. Vase benè obturato stent in infusione diebus decem. Tunc addantur:

Herb. virides & recentes, concisæ & aliquantulum conquassatæ: *fol. Ruthæ m. vj. tanaceti m. iij. rosmarini & pimpinellæ aa. m. iß.* Maneant adhuc simul in infusione per octo vel decem dies, quotidie baculo commovendo. Postea affunde.

Succi citri lib. ij.

Stent adhuc per tres, quatuórve dies, postea super ignem leviter ebulliant & colentur, ac in torculari fortissimè exprimantur. Colatura expressa destilletur in M. B. aut arena per alembicum vitreum. Illud quod post destillationem in fundo cucurbitæ remanet, adjectâ aquâ C. B. attenuandum & per chartam emporeticam raram colandum est, quæ colatura lento igne exsiccanda est ad extracti consistentiam, quod usui servandum. Hoc extractum magistrale vocabat Dimmerbrok. Ex fœcibus & herbis combustis interdum sal extrahi curavit.]

Usus.

℞. Ex-

℞. *Extracti Magistralis dicti, satis absinthij aa. scrup. 1. diascord. Fracastor. drach. j. aquæ theriacal. fortioris prædictæ unc. ij. ol. vitriol. gt. X. aut XIII. M. F.* haustus pro dosi.

Acetum Bezoardicum ejusdem.

℞. *Radic. Angelic. Carlin. Petasitidis Helenij, dictamni aa. unc. ß. Zedoar. Drach. ij Herbar. C. B. scord. aa. drach. VI. Centaur. minoris ruthæ aa. unc. ß. Flor. Stæchad. drach. ij. sem. C. B. Citri aa. drach. j. Baccar. Juniperi drach. iij. F. pulvis grossus cui affunde aceti fortissimi lb. V. vel VI. stent simul in loco radijs solaribus exposito per 14. vel plures dies, postea colentur cum forti expressione.*

Eidem aceto si velis eundem pulverem adhuc semel de novo infundere poteris túncque erit multò efficaciùs.

Usus.

℞ *Terræ Sigill. scrup. ij. trochiscor. de viperis scrup. i. ß. aceti Bezoardici præscripti*

ſcripti & aq. Theriacalis fortioris aa. unc. i, M. F. hauſtus pro doſi.

Pulvis Anglicus Anti-peſtilentialis.

℞ *Margarit. pp. ocul. canc. corall. rub. pp. ſuccin. abbi. pp. C.C. uſti lapid. bezoard. aa. unc. ß. pulv. ex apicibus nigris chelarum cancrorum ad pondus omnium. M. F. S. A. Pulvis* Ex eodem pulvere cum gelatina viperarum fiant globuli in umbra ſenſim ſiccandi.

Uſus.

℞. *Terræ ſigillat: pulv. anglici aa. ſcrup. ß.* M. pro doſi.

Pulvis Alexipharmacus Sorbeit:

℞. *Flor. Sulphuris, Myrrhæ rubr. nitri aa. Unc. j. camphoræ drach. ij. M. F. pulvis. Doſis à Drach. 1. ad ij.*

Sorbeit teſtatur hoc pulvere multos centenos à peſte anno 1679. Wiennæ graſſante, vindicâſſe, imperato poſt ſumptum pulverem ſudore.

K Pul-

Pulvis Alexipharmacus ab Excellentissimo Domino Professore Cassinis de Bugella, in Praxi M. S. laudatus.

℞. *Antimon. diaphor. flor. Sulphur. simpl. aa. drach. ß. sal. volat. viperar. scrup. ß. camph. gr. xij. sachar alb. drach. 1. M. F. pulvis dividatur in tres partes æquales.*

Potiuncula alexipharmaca Barbette.

℞. *Aquæ C. B. Prophilact. Sylvij sive Nostræ, Syrupi Berber. aa. unc. 1. Diascord. Fracastor. Scrupul. IV. Sal prunell. scrupul. 1. absinth. scrup. ß. M. F. haustus pro dosi.*

Alia ejusdem.

℞. *Aqu: prophilact. nost. unc. j. Julap. rosac. unc. ß. antimon. diaphor. Scrupul. 1. sal scord. rutæ aa. scrup. ß. aqu. fumar. q. S. M. F. haustus.*

Potiones hasce probatissimas invenit Barbette in crudelissima peste Amstelodamensi.

Vehicu-

Vehicula talium medicamentorum & remediorum *Anti-pestilentialium* sunt aquæ destillatæ ex suprà recensitis alexipharmacis herbis, acetô tam simplici, quàm rubi idæi sambucinô, rutaceô, flor. tunicæ, scordij aut compositis theriacalibus impraegnatæ.

Plura coacervavit *Dimmerbrok*, apud quem lib. 3. cap. 5. in additionibus, videri possunt. Nos attacto fonte Chyrurgico & exhausto ferè fonte Pharmaceutico conferimus tertium, nempe fontem Diæteticum delibandum. Primò omnium occurrit.

Aër, qui per suffumigia varia Thesi VIII. enarrata diligentissimè alterandus: Et si facultates ægri ferant in eo cubili in quo correptus fuit, nè maneat, sed ad aliud se transportet quantocyùs. Quòad

Cibum & potum: Quamvìs sit morbus acutissimus, tenuissimo tamen victu non erit utendum, nè natura præmaturè succumbat, sed ad vires recuperandas, roboranda erit, exceptis duabus vel tribus primis diebus, in quibus ob copiam cibi ingesti non erit in opere propulsivo natura interturbanda, imò oneraretur potiùs quàm ut roboraretur. Secuturis verò diebus modicum plùs concedi potest, non ad semel, sed frequentiùs, bis, ter, quatérve intrà diem, juscula consummata, & gelatinæ

cum viperis factæ, item ova sorbilia cum mo-
dico croco, aliáque facilis digestionis & opti-
mæ notæ edulia offerri poterunt frequentiùs
ut citò deperditum robur acquirat æger, *Qu*
enim longo tempore extenuata sunt corpora (in
quit Hipp. 2. aph. 7.) *lentè reficere oportet, qu*
verò breviter, citò. *Dimmerbrok* & ex eo *Phy*
sici Wratislavienses in Consilio suo de anno 168
Sequentem recommendant Gelatinam:

℞. *Gallinam aut pullum Gallinaceum*
carnosum, vel caponem juvenem, abje
ctis interaneis bene mundatum, & cum
aceto rosaceo vel sambucino lotum, con
scindatur unà cum ossibus in minutas par
tes, & imponatur canthαro lapideo vitre
to. angustioris orificij, addendo carnis v
tulinæ musculosæ similiter concisæ lb.
subindè quoque perdicem, aut phasianum
juniorem, aut alaudas aliquot addi jubet
pomum citrinum (si parva fuerint sumen
da duo) in particulas unà cum cortice con
cisum, conservæ rosar: rubr. unc. ij. cina
mom. elect. & in frusta concisi drach. ij
vel iij. Vini Rhenani unc. V. vel VI. his im
missis, canthαro exactissimè firmô opercul
obtu

obturetur & coquatur in balueo; sex septémve horis: Deinde totum effundatur super mappam mundam, ex eóque omnis succus fortiter extorquendo exprimatur, à quo supernatans pinguedo auferenda, & quod residuum est in cella refrigeretur & coëat in gelatinam.

Hujus glatinæ sæpiùs de die 1. vel 2. cochlearia in jusculo caponis aut alio melioris notæ, ad ignem dissolve & exhibe. Poterit etiam frequentiùs panatellis bonis vesci & frustulum panis calentis aut frigidi in vino, pauperibus in aceto intinctum, naribus applicari. Hoc insuper in cibis exhibendis animadvertendum nè medicinam redoleant, & locò oblectamenti, refectionísque nauseam ægro creent.

Potus ordinarius quamvìs hìc usitatior sit cerevisia alba, quia verò eadem plùs mali, quàm boni præstare potest & naturam magìs impedire, quàm adjuvare: eápropter patientibus potiùs aliqua aqua decocta suadenda; quòd si tamen à potu cerevisiæ abstinere animus non esset, tunc recipiendæ *duæ partes cerevisiæ secundariæ & pars una vini aciduli, quibus ad mensuram i. ß. vel ad hujatis Pragensis pintæ tres quartarios addatur pomum citri in taleo-*

 las

las dissectum. Inde emergit potus suavissimu & convenientissimus. Si à *vino* aliquid per horrescendum foret, potest vinum *aquâ scor zoneræ* aut *borraginis* priùs dilui. Huic po tui ut fiat magis appropriatus pro lubitu add poterit *Gelatina* C. C. *cum vipera factæ ab unc 1. ad unc. ij.* Alijs *decoctum hordei simplex cum radice acetos: sylvestris & scorzoneræ* factum da ri poterit. Alijs *aqua simplex fontana acidulat cum spiritu sulphuris per campanam.* Alijs *tin ctura rosarum acidulata & dilutior* concedi pot set. Vel Julepus sequens:

℞. *Pomorum citr: Nô. iij. discindan tur in taleolas, taleolæ conspergantur sa charo albo, hinc coq. in S. q. aq. simplici colaturæ lib. IV.* adde *Succi citri recen unc. iij. flor. rosar. rubr. & papav. erra aa. m. j. Spirit. salis dulcis parum, stent i loco tepidulo in infusione ad extractione tincturæ, colatura detur. Si pro potu or dinario inservire debeat diluatur aqu fontanâ, aut scordij, scorzoneræ C. &c.*

Qui vino assueti sunt, ijs potiùs in form brodij (zur kalten Schaalen) cui frustul

con-

cortic. citri, cinnammomi, sachari & aliqua alexiteria, cum quarta parte cerevisiæ concedi poterit, quã ut pro potu detur ordinario. Potus sulphuratus Helmontij est valde ingratus, quamvis efficax. Pro coronide de potu notandum: quorum potus sunt cum vino, moderatus eorum usus concedendus, & si sitis urgeat, potiùs per frustulum citri linguæ impositum, aut cum pauxillo pulpæ tamarindorum fallenda. Alij potus poterunt frequentiùs, non tamen actu frigidi nec in excessiva dosi, concedi. Si lingua arida fuerit foliorum sedi majoris pellicula exterior detracta, & aquæ rosarum aut simplici fontanæ immergatur, & frequentiùs linguæ apponatur. Si nimis arida esset, frustum lardi non saliti imponatur linguæ & sæpiùs aqua simplici aut serô lactis acidulô os eluatur. Acetum (pro collutione oris) aquæ addendum non erit, cum acetum linguam aridiorem reddat.

Somnus & Vigiliæ ità commoderatæ sint, ut vigiliæ præ somno approbentur: somnus enim tam naturæ, quàm medicamentorum motum excretorium versùs peripheriam corporis impedit, proinde in uno continuo 3. vel 4. horis nunquam est concedendus somnus, præcipuè verò ab eodem arcendus æger ante- & in ipso sudore. Itèm quando natura occupata est in

bubonibus, anthracibus aut petechijs protrudendis. In declinatione morbi ad libitum somnus concedi poterit; sicut & emaciatis, virium exhaustarum ægrotis & senibus modicum plùs quàm phlegmaticis & juvenibus indulgeri poterit.

Quies præ motu eligenda.

Excreta non adeò curanda: nil enim interest licèt alvus sit clausa etiam septem diebus, ante diem septimum, utì jam aliquid in prophylaxi præmonitum, nil movendum; imò ut recidiva præcaveatur ante dies 14. vix laxativum tuto exhibetur.

Animi pathemata tristia, utì est terror quantùm licet abigenda, sed bonæ mentis ægrum esse persuadeat Medicus: Non tamen obliviscendum, cùm morbus sit periculosissimus adstantes admovere de cura animæ ægrotantis.

Quæstio *An in cura pestis opiata, papaverina &c. conveniant?*

Ratio dubitandi. (I.) Summa ratio curationis consistit in legitimo sudoris regimine ejúsque provocatione copiosiori; sed opium non est sudoris provocativum ergo. Minor probatur: opium est anodynum, soporiferum coagulutivum spiritûs, sed anodyna, soporifera & spirituum coagulativa non pellunt sudorem,

rem,ergo. (II.) *Ratio dub*: eſt ratione cauſæ peſtis,quod peſtis vel à coagulatione,vel reſolutione procedat,ad neutrã harũ cauſarũ debellẽdã facit opiũ.Ergo.Probatur nõ ad reſolutionẽ, quia (*utì de operatione opÿ eleganter Doctiſſimus Wedelius in opiologia ſua diſcurrit*) ejus operatio dependet à fermento ſummè irradiativo, quod in primis vijs reſolutum immediatè corpus quaſi irradiat & ſpiritus figit; jam poſitô tali fermentô in opio, illud ab acredine veneni peſtilentialis, non ſolùm citiùs reſolvetur ſed & magìs exaltabitur. Ergo nullatenùs opiata, ſicut nec papaverina, quæ earundem ſunt virtutum, conducunt in peſte. Ad primam dubitandi rationem *Reſpon: Conceſſa maj. diſtinguo minorem*, opium non eſt ſudoris provocativum *primarium, concedo minor*: non eſt ſudoris provocativum *ſecundarium nego minorem.* Pro hujus diſtinctionis meliori intelligentia.

Sciendum I. Ut ſudor debitè fluat duo conſideranda eſſe ratione ſubjecti. (I.) *Certus ſanguinis & ſeri, utpotè Sudoris materiæ, ſtatus.* (II.) *Partium per quas fit excretio. certa& determinata cutis ejúſque pororum conditio.* Quòad ſanguinem & ſerum requiritur, ut talis ſit eorum ſtatus, nè condenſatus nimiùm, nec nimis rarefactus exiſtat, adeóque in æquabili

mistura seu textura ac consistentia sit constitutus. In condensato enim sanguine requiruntur sudorifera potentiora, volatilia & magis rarefacientia, respectu pestis, respectu morborum v. g. chronicorum, ubi equidem massa circulans condensata & spissa est, potentiora non adeò locum habent sed ordinaria repetitis verò vicibus exhibita. In resoluto verò nimis eodem, magìs per medicamenta resolutus sanguis ità cum sero commiscetur invicem ut nulla specialis secretio fieri possit. Hac ratione evenire solet in Peste, quæ plerúmque à causa resolutiva est, non tamen semper, quod ex potentissimis sudoriferis nè gutta sudoris, infausto omine, prodeat. Quapropter Practici, pro sanguinis & seri aliquali modificatione sudorifera cum acetis propinant, & cùm effectu faustissimo. *Partium conditio* per quas fit excretio, in eo consistit ut non tantùm glandulæ miliares apertæ & officio transcolatorio aptæ existant; sed etiam ut fibræ imprimis nerveæ debitum habeant tonum: Hoc est nec laxæ nimis nec nimis strictæ sint. Si nimis laxæ & in tono resolutæ sint, non solùm sudoris materiam sed ipse succus & ros nutritius pro partium solidarum nutritione hinc inde appositus effluit & sudorem indè plùs minùs glutinosum constituit, qualis v. g. in syncopizantibus

bus obſervatur. Nec tamen *ſtrictæ* nimis eſſe debent fibræ, nè occluſis hinc poris intercutaneis, quævis ſudoris ſupprimatur excretio. Id, quod non rarum eſt in peſte, febribus maligni, petechialibus, &c. In quibus ſpiritibus animalibus, à peſtifero & maligno fermento afflictis, ſtriguntur fibræ, & clauduntur pori: Et hinc inquietudo & vigiliæ pertinaces ægros affligentes etiam procedunt.

Sciendum II. Reſpectu remediorum alia ſunt (1) *Primaria* quæ oleoſum acidũ Maſſæ circulantis, plùs minus temperare, atque ità texturam indè natam vi alcalina diſſolvere valent, adeóque hæc maſſam circnlantem per ſudorem purificandam reſpiciunt. Atque hæc ſunt aut *Poſitivè talia*, quæ ſunt ſubſtantiæ plus minùs volatilis, ad ipſam Maſſam circulantem & alias corporis regiones penetrantis, quæ ipſa poſitivè agunt in humores circulantes eorúmq; texturam attenuant & reſolvunt; talia ſunt omnia ſalia volatilia urinoſa & ſalia fixa herbarum. Aut ſunt *Privativè* ſudorifera, quæ primas vias non egrediuntur, ſed in primis vijs operandi vim ſuam exerunt, quatenùs acidum ibidem ſtabulans tam naturale imminuunt, quam præter naturale vitioſum in ſpecie infringunt, imbibunt & alterant, occaſione cújus aliàs vel irritando præ-

cor.

cordia fibræ intercutaneæ ſtringuntur, vel massa ſanguinea turbatur, quo minùs poſſit ſubſequi ſudor. (2.) *ſecundaria* quæ reſpectu fibrarum & pororum intercutaneorum, qualitercúnque affectorum, dicuntur ſudorifera, quæ tamen ſudorifera ex ſe non ſunt, ſed quatenùs hiſce partibus, ſudoris proventum inhibentibus medentur, atque in ſtatum talem reducunt, ut ſudor facili negotio fluere poſſit. Hoc reſpectu opiata & papaverina ſunt diaphoretica, non ex ſe & primario & poſitivè talia, ſed in quantùm vi anodynâ ſpaſmum & contracturam fibrarum intercutanearum partium relaxant, ſudoríſque fluxum promovent. Hinc in peſte aliisque febribus malignis opium eſt nobile ſudoriferum, ut & Theriaces & Mithridatij compoſitiones ceu unum ex primarijs ingrediatur, quatenùs & irritationem moleſtam, à fermento maligno productam, quocunque in loco ſiſtit, & ſpirituum impetum ſopit & hinc fibrarum cutanearum ſtricturam, indéque natam pororum occluſionem, ſolvit, ut ſudor negotio faciliori fluere poſſit.

Ad ſecundam dubitandi rationem. *Reſp.* diſtinguendo: non conveniunt opiata in Peſte: per ſe ſola *con.* ſudoriferis & alexipharmacis combinata aut plane intimè confermentata

v.g.

v. g. in Mithridatio & Theriaca *nego*. Ergo non conveniant in Peſte, ſimiliter diſtinguo.

THESIS XII.

De ſymptomatum Peſtem comitari ſolitorum curatione.

NOn contenta viribus ſuis dira hæc & omnium pernicioſiſſima lues, quibus mortalium proſterneret corpora, alios adhuc ſibi morbos adſcivit in ſocios, aut ut ea ipſa debellata & aliquantulum ſubjugata ope ſociorum in conſortium adſcitorum à lucta ſecum habita feſſi ægri, ante virium reparationem, ſternerentur. Inter hæc porrò ſymptomata, quæ peſtis agminatim ſecum ſoler in vehere alia ſunt *Interna*, alia *Externa*. Inter ſymptomata *Interna* ſunt.

I. *Cæphalalgiæ*, *vigiliæ & deliria* quæ ſymptomata ablata cauſa principali etiam auferuntur. Proindè ſi dolor ſit per conſenſum primarum viarum, vomitoriô, in principio conſtantibus viribus datô præcavetur, & in progreſſu Clyſmate levatur, quam quam exhibitis ſudoriferis & antidotis hìc paulatim ſua ſpon-

ſpontè evaneſcat; ſi quid tamen agendum foret ſolum topicis & anodynis tractandus erit æger, v.g. innunctionibus ex oleo papaveris expreſſo, ungventô alabaſtrinô, & populeo cum pauxillo olei nucis moſchatæ croci & camphoræ. Exemplo ſit ungventum familiare Mindereri.

℞. *Ungvent. de alabaſtro unc. iß. ung. populei unc. ß. camph. gr. vi. vel vij. aceti ſambucini modicum.*

Uſus.

Obducatur duplex pannus hôc linimentô & fronti ac temporibus imponatur.

Dimmerbrok in uſu fuit ſequens.

℞. *Conſerv: roſar: rubr: ung: alabaſtr: populei aa. drach: iij. olei nucis moſchatæ expreſſ: ſcrup: iß. croci ſcrup: ß. vel ſcrup: 1. M.*

Uſus.


Excipiantur ſtupa & applicentur temporibus & fronti.

Aut:

Aut:

℞. *Nucl: persicorum drab: iij. sem. papav: alb: drach: j. cum aqua flor: sambuci aut verbenæ aut solani f. Emulsio fronti & temporibus applicanda.*

Pauperes placentam rosaceam, aquâ propriâ madefactam aut pampini folia imponunt. Pedũ verò plantis raphani dissecti in laminas, sale conspersas, aut anagallidis recentis folia addito sale & aceto modicè contundunt, aut argillam aceto subactam alligant, sícque in peste cum febre & dolore capitis conjuncta sibi mederi consueverunt.



II. *Vigiliæ* dolori capitis conjungi, vel saltem succedere solent, quamvìs sub earum perseveratione vires fatiscant, ante morbi diem tamen quintam vel sextam nihil tentandum, cùm in morbi hujus principio vigilare magìs quam dormire expediat. Si tamen ob nimiam urgentiam aliquid agendum foret, somnus leviter alliciendus, ac modicus (in progressu morbi, ùt jam dictum) sopor procurandus erit inunctionibus jam memoratis. His etiam, præter dicta, applicari interdum poterit frontale ex floribus papaveris erratici con-

conquassatis & aquâ lactucæ conspersis. Item *medulla crurum vitulli* recens, temporibus illita somnum blandè conciliat. Sicut & pedilavia *ex violaria. nymphæa fol. salicis, pampini, flor. chamomillæ simp. & Roman. ac meliloti & capitibus aliquot papaveris cum semine.* Quorum usus vespertino tempore ad semi horulam iniri poterit. Internè quæcúnque exhiberi solent utì sunt Emulsiones & quædam opiata infida sunt, quapropter potiùs omittenda. *Vid: Barbette & Dimmerbrok.*

III. Capitis dolorem ac vigilias comitari non raró solent *deliria* quæ ferè ijsdem, jam enarratis compescuntur, præter hæc poterunt viva animalia capiti deraso apponi, & sicut in dolore capitis potentiori, itá & hic in brachijs aut crurum parte domestica vesicatoria excitari & cum fructu *foliô brassicæ* in fluxu conservari poterunt; quia verò hæc symptomata communiter oriuntur, ubi pestis á resolutione est, & comitem habet febrem ex se medicamenta volatilia prohibentur, séd potiùs alexipharmacis temperatis & fixis utendum, ad sudorem proliciendum, cujus debitus proventus per se dicta mala evanescere per sæpe facit.

IV. *Somnus nimius seu sopor* interdum Peste correptos affligit. Hinc statim à *mithrida-*

tij

tij, theriacæ, Elect. diascordij, aliorúmque opium continentium usu desistendum. Potiús ijs utendum quæ somno adversantur, qualia sunt *aceca alexipharmaca, castoreata, mixtura simplex, &c.* *Externè* si in ipso morbi principio ad somnum nimis proclives essent ægri, quantùm possibile ab eo arcendi, usque dum alexipharmacô assumptô priùs bene sudâssent; Quapropter adstantes, patienti, frequenter naribus spongiam aut strophium alexipharmacô acetô castoreô imprægnatô madidum, naribus objiciant, cum eo colloquantur & confabulentur; Si verò similibus somnolentia non cedat, sed quasi lethargici evadant ægri, vesicatoria cervici item carpis & malleolis applicata prosunt.

V. *Si hæmorhagia narium* molesta sit, attendendum, num delirium aut gravis capitis dolor vel simile quid caput occupet, cui in alijs morbis non pestilentialibus, hæmorhagia salutem ferre queat, & tunc si corpus plethoricum est, ac ætas, & prægressa victûs ratio id suaserint, aliquantulum sanguinis v. s. emitti poterit, adhibita diligenti animadversione num æger ab hoc jam dicto stillicidio sanguinis circa symptomata aliqua sublevetur, quod si fiat, bonum est, sin minùs hæmorhagia si-

ſtenda & ſanguinis ebullitio cohibenda, *intern né* per varios pulveres ex *terra ſigillata*, *lapid. hæmatite*, *corall: bezoardico minerali*, *antimon diaphoret* & ex his ppto. eleganti pulvere *ſtegno tico Guttmanni*, aut mixturis varijs Ex *aqu papav errat: cum ſyrupo de portulaca & papave re item ſucco cydoniorum*, *ribium berberorum &c.* *Excerné* per varia Epithemata ex acett cum creta, bolo vel argilla fronti & nucha applicata. Plurimum præſtat buffo ſub axill lis ligatus, aut manu detentus donec incale ſcat.

VI. *Sitis nimia* ſedatur *nitrô antimoniat* in potu ſoluto. Item *ſero lactis* depurato & ſucco citri acidulato. Aut aquâ fontanâ pu ro *oleo* vel ſpirit: vitrioli acidulata. Item de coctum citri Minſicht. Satiùs faciunt, qui ſ tim potiùs fallere quàm adimplere nôrun Fallitur verò ſitis per pulpam tamarindorum ore detentam, aut ceraſa acida ſole toſta, lin guâ hinc inde ore volutata, vel *Ribes* au *Berberorum uvulæ* ſacharô conditæ, aut *morſel* ex earundem ſucco parati & maſticati, im *Sachari candi violacei*, *oleo vitrioli*, *oleo antip ſtilentiali Heiniſij & modica aquâ roſaceâ* perur cti, rursùsque exſiccati, particula ore deten & colliquata, ac ſubinde decoctum hordei v


aven

avenæ cum modico aceto, aut gelatinam aliquam ſubacidam, aſſumere utile erit.

VII. *Cardialgia & vomitus* levantur ſale abſinthij conſervâ menthæ, roſarum extractô tormentillæ, &c. vel

℞. *Aqu. menthæ prophilact. Barbette aa. unc. i. ß. aqu. cinnamon: unc. ß confection. de Hyacintho drach. i. ſal. corall. ſcrup. i. ſyrup. myrtini unc. ß. M. F. Potio detur cochleatim, externè regio ventriculi illinatur oleô ſequenti.*

℞. *Ol. nuciſt. expreſſ. drach. i. ß. ol. macis deſtill. drach. ß. ol. abſynth. drach. i. M.*



Dim̃erbrok miracula aſſerit feciſſe ſequentibus.

℞ *Conſerv. roſar. rubrar. unc. i. ß. Diaſcord. Fracaſtorei Drach. iij. vel. iiij. aqu. theriacalis fortioris unc. iiij. ſucci limon: recentis, aquæ cinnamom. aa. unc. i. M. ſimul et ſtent per horam unam aut alteram, dein per linteum colentur, Colaturæ adde Confectionis de Hyacintho Drach.*

 1. mi-

1. misce. Usus. *De hac mixtura detur sæpiùs cochlear unum de die.*

Secundum est ejusdem linimentum se-quens.

℞. *Oleum nucis moschat. express. ol. scorpion. vel laurini, theriacæ andromach. aa. Drach. i. oleum juniperi scrup. ß. succin. scrup. i. caryophillor. & cinnamom. gt. iij. M. F. linimentum.*

Hujus linimenti parum in cochleari tepefactum scrobiculo cordis seu regioni stomachi locísque circumvicinis ad latitudinem palmæ manûs inungebatur, ídque bis térve de die, superponendo pastam ad ignem calefactam.

℞. *Rad. Calam. aromat. nucis moschatæ aa. drach. 1. Caryophyllor. benzoin. aa. Drach. ß. fol. menth. Drach. ij. subtiliter pulveri satis adde micæ panis secalini unc. iij. vel IV. aceti rosacei q. s. F. pasta molliuscula quæ in linteo extendatur; atque ita ad ignem calefiat & ventriculi regioni imponatur. Plura etiam habet Barbette.*

VIII. Al

VIII. *Alvi fluxus* utpote ſymptoma ægris periculoſum & *tormina abdominis*, quàm primùm accedunt, oppugnanda: quæ duo ſymptomata levant in ſpecie *electuarium Diaſcordij Fracaſtor. à Drach. i. ad Drach. ij. in aceto prophylactico* aſſumptum. Item *eſſentia theriacalis à gt. XXX. ad XL.* Item *extract. theriacal. à gr. iij. ad iv.* Aliáque anodyna & opiata, quibus adduntur abſorbentia, nempe C. C. *uſtum bolus armena, terra ſigillata, cryſtall: pp. cum conſerva roſar: antiquar: aut aqua menthæ propinata.* Denique cydoniata omnia valde ſunt proficua.

IX. *Sudores nimij* corpus in atrophiam deducentes compeſcantur emulſionibus temperatis & abſorbentibus mitioribus corallinis interdum martialibus & vegetabilibus aromaticis atque amaris v. g. abſinthio junctis, feliciter curantur

X. *Urinæ ſuppreſſio*, quæ ſæpius à veſicatorijs applicatis ortum ducit, ea erunt ante omnia amovenda, hinc regio pubis ſequenti inungenda unguento.

℞. *Unguent. de althea. unc. ß. ol. ſcorpion. ſimpl. drach. i. M. F. liminent: quo pubis imuugenda ſæpiùs,*

Aut *Radices petrosellini cum herba & butyro* non salito ad formam linimenti contundantur in mortario lapideo & inter duplicatum linteum repositæ, apponantur pubi.

XI. *Syncope, cordis palpitatio & anxietates* dissipantur per odorifera & spiritus excitantia externa. Qualis est nodulus expertus Dimmerbrok. Qui sic habet:

Rec. Cortic. citri Drach. iij. Cinnamom. Caryophillor. granor. cardamom. minor. aa Drach. i. macis scrup. ij. contundantur aliquantulum & fiat nodulus, sequenti liquori immergendus.

Rec. Aqu. rosar. vini Rhen. generosi, aceti Sambucini vel aqu. cinnamom. aa unc. I. *M. Huic liquori sæpiùs immittatur nodulus præscriptus & naribus odorandus offeratur.*

Internè exhibentur cordialia utì sunt: *Confectio alchermes item castoreata, spirit:* Carminativus *de tribus liquor* C.C. *succin:* pro pauperibus *solus spiritus* C.C. *ad gt. XXX: vel* XL. Item *spiritus sal. armon. succinnat, anisatus. &c.* Si hæc symptomata ex cruditatibus ventriculi originem trahant, *absorbëntia* vel sola volatilibus sociata prodernnt.

XII. *Ad anginam & incipientem oris nigre-*

di-

dinem gargariſmus ex *prunella*, *ſalvia*, *fl: rhœados ſcodio*, *cum roſis rubris in aqua hordei* decoctis, paratus, additô *nitrô*, *ſale ammoniac.* aa. *cum ſyr. papav. rhœados & diamoron*, *rob nucum*, *& melle roſat.* confert. *Externè* collo applicari poterit calidè ſacculus ex *Croco & flor. ſambuci ſpirit. ſal. ammoniaci* irrotatus. Item cataplaſma ex pulvere malvæ bis malvæ, altheæ, melitoti, chamomillæ, nec non ex nido hyrundinum ac radicibus liliorum alborum cum farina ſeminis lini aut fœnu græci incocta, unguento de cynogloſſa ol. amygdalar. violarum: chamæmelino ac de ſcorpionibus. Pauci hoc ſymptomate obruti, evadunt, proinde ſummâ diligentiâ ac attentione opus eſt.

Quòd ſi materia morbifica non diſcuteretur, ſed abſceſſu procurato tumor ad intrà ruptus fuerit, & pus putridum in ventriculum defluxerit *Syrupo de ſucco ſcordij*, *C, B.* ac alijs ſub amaris & putredini reſiſtentibus & emendantibus, inde ſecutura mala præcaveantur. Donec occaſio affulgeat qua ſanus aliquô *Mannato* vel *Rhebarbarino* leviter educi & elui queat.

XIII. *Tremori & membrorum tenſioni* frequentiùs obortæ, veſicatoria in carpis & femoribus parte domeſtica applicata proſunt, veſicæ excitatæ citò aperiendæ & diu apertæ ſervendæ.

 XIV. *Ma-*

XIV. *Maculæ petechiales & vibices* apparentes diligentem & ſedulam ſudoriferorum continuationem indicant; quibus interdum *myrrhata & caſtoreata* cum ſalibus volatilibus addenda. Et ut feliciori negotio maculæ prodeant externè corpus quotidie fricetur ſacculo ſale communi vel ſale petræ repleto & in sartagine calefacto. Item eundem in ſcopum cucurbitulæ non ſacrificatæ per corpus ducendæ per dorſum, brachia & crura; cavendo omne aëris ambientis frigus. Alij recommendant, & experientijs comprobant inunctionem pectoris, & ſcapularum oleô magnô ſcorpionũ Mathioli, eo tempore, quo ſudorifera exhibentur. Hæc de ſymptomatibus plerúmque internis & comuniùs ſub Medici officiũ cadentibus dicta ſufficiunt. Supereſt ut de ſymptomatibus externis ijs dicamus, quorum curatio quamvìs plùs ad chyrurgos quam Medicos pertineat, comuniſſimè tamẽ peſtẽ concomitentur, & ſunt *bubones* atque *carbunculi* ſive *anthraces.*

I. De Bubonibus.

BUbo Ger: ein Schlir- oder Peſtilentz-Beyle / Boh: Mornj Baule neb Hljza. Eſt tumor adenum ſeu glandularum in inquinibus utrobique ſitarum.

Bubonis jam dicti nomen ſibi quoque vendicâ-

dicârunt tumores ij, qui ſub axillis & collo emergunt, quanquàm poſteriores ſub nomine parotidum veniant.

In inguinibus tripliciter bubo oriri ſolet vel *ſimplex*, qui in pueris adoleſcentibus, dum creſcunt ſæpiùs evenit & ſolent vocare die Wachßdrüſſen; aut qui harum partium ſimplici inflammationi ſuccedit, aut ex affectis alijs partibus per metaſtaſim oritur, Vel *venereus* qui originem trahit ex concubitu cum muliere infecta. Vel eſt *malignus*, qui ſolet jungi febribus malignis & ſporadicè affligit. Vel *Peſtilens* qui peſtis eſt comes & epidemicè uti peſtis ipſa graſſatur. Hic de Bubone peſtilentiali ut peſtis ſymptomate tractabimus.


In cauſa Bubonum tam in genere quàm in ſpecie Bubonum peſtilentialium *præſupponere* oportet omnes adenas ſive glandulas eſſe organa excretioni alicujus humoris deſtinata; inter hæc autem alia humorem recipiunt, ſegregant & excernunt naturæ utilem ùt pancreas. Aliæ inutilem, utì glandulæ inguinales & axillares & omnes miliares ſeroſi humoris copiã, aut per inſenſibilẽ transpirationẽ aut ſudorẽ ſenſibilẽ diſſipandã & excernendã. *Præſupponendum* (2.) *Glandulas* utpote texturæ mollioris & rarioris humoris ſeroſi copiã admittere & recipere. *Præſupponendum* (3.) *glandulas* præcipue inguinales & axillares eſ-

ſe communia naturæ emunctoria, hinc in nulla alia parte plùs ſudamus quam ſub axillis & in inguinibus. His præſuppoſitis dico quandocúnque aliquid heterogenei & naturæ adverſi humoribus circulantibus admiſcetur, & per medicamenta non diſpellitur, aut inſenſibiliter aut ſenſibiliter per ſudorem, natura volens ſe à malo exonerare materiam morbificam ad colatoria & communiora emunctoria præcipitat & amandat. Hæc materia in glandulas depoſita à ſeroſo & acido glandularum humore, eam coagulat, & tumorem excitat qui *bubonis* nomine venit. Nunc materiam benignam nunc malignam in ſinu gerens, quod buboni eſt per accidens.

Signa Diagnoſtica vel potiùs diſtinctiva bubonum ſunt quòd ſimplex *primi generis* pueris & Juvenibus in annis accretionis oboriatur ſinè dolore & incommoditate omni, à pura & ſuperabundanti hujus ætatis humiditate ortum ducens, & accreſcente ætate natura à vapido ſuperfluo ſe liberante diſparens. *Secundi generis* ſequitur febrim & hinc depurationem aliquam ſanguinis. *Simplex tertÿ generis* ſeu per metaſtaſim ſequitur alicujus partis internæ inflammationem. *Bubo venereus* habet juncta ſymptomata luis venereæ, præcipuè ad noctem dolorem capitis & membrorum laſſi-

lassitudinem. *Bubo malignus* sparsim cum febre maligna, *Pestilens* verò epidemicè grassatur sæviente ipsa populariter peste, & ægri conqueruntur de tumore, & dolore pulsante, æstuante, instar ferri candentis in adenum loca infixi, eos mirùm excruciante: Hinc apparet color ex albo in rubicundiorem, dein splendentem, imò sæpè in lividum, nigrum, fuscum, viridem vel cæruleum desinente, cum magna virium & ægrorum prostratione.

Quoad Prognosim Bubones maligni & pestilentiales ferè semper sunt lethales. Bubones circulum iridis instar habentes aut si lividi vel nigri fuerint, præ alijs mortis sunt nuntij. Pessimi ominis sunt bubones, qui comparentes derepentè iterùm disparent. Item mali si vesicatoria apposita inter octo vel decem horas nullas excitent vesicas. Periculosiores qui in collo, quàm qui sub axillis, & hi inguinalibus perniciosiores esse consveverunt. Quô viribus ægri magìs constant, eò plùs spei promittunt, fractæ verò vires, habitus delicatus, & ætas infantilis, aut juvenilis impuritatibus scatens pejores bubones habere solet.



Totius curationis bubonum pestilentialium cardo versatur præter diligentem continua-

tinuationem & exhibitionem internè sudoriferorum, alexipharmacorúmque.

I. *In debita applicatione statim à principio eruptionis, remediorum attractivorum, seu quæ venenum eliciunt.*

II. *In remediorum maturativorum usu, quæ tumorem ad suppurationem deducunt.*

III. *In tumoris apertione &*

IV. *Ulceris mortificatione, ejúsque sensim factâ consolidatione.*

Pro primo scopo sunt venenum elicientia attractiva dicta, inter quæ eminent *cepæ* sub cineribus coctæ, & cum *sinapi albo* pulverisato mistæ, buboni applicatæ: Locò sinapi accipi potest *theriaca* & *fulgio furni*, quibus cepa excavata repletur & buboni calidè, sæpiùs de die applicatur, ídque per dies aliquot. Post cepam est *buffo* & indè ppta. *Pacacelsus de Peste ad Sterzingenses* svadet ut buffo terrestris, mense Julio ligno per caput transfodiatur illæsis alijs partibus, præcipuè verò ventre: ísque in aëre suspensus exsiccetur, siccatus & linteô exceptus ventre imponatur buboni, hic licet totus exsuccus, extrahendo venenum totus in tumescit, tumidus factus abjiciendus & novus super imponendus; quòd si applicatus siccus remaneat mortis signum certum esse asserit. *Hildanus Epistola 96.* hocce emplastrum

ſtrum attractivum & maturativum ex buffonibus recommendat.

℞. *Buffones terreſtres in aëre libero, ſole, ventoque aridos factos, ac poſtea pro meliori præparatione in tegula calida exſiccatos in pulverem redige, ante tamen mortarium & piſtillum oleo ſcorpionum inungendum, nè inter piſtendum pulvis nares feriat & cerebrum offendat.*

℞. *Pulv. hujus unc. j. fermenti acris unc. iv. Theriacæ optimæ unc. j. fol. rutæ virid, m. j. contundantur in mortario invicem & C. S. q. mellis redigantur in formam linimenti aut emplaſtri.*

Uſus.

Superducatur linteo & bis aut ter applicetur buboni.

Muſitanus in ſua Chyrurgia lib. 1. cap. 53. m. fol. 248. ſimpliciter accipit buffones terreſtres, furno immittit & exſiccat, exſiccatos in pulverem redigit, ex quo, farina hordei & ſaliva aut urina humana conficit pultem, quam telæ imponit & bubonia applicat.

Post Buffones est Stercus proprium calidè applicatum. His succedunt varia emplastra attractiva ab Authoribus laudata, quale est emplàstrum attractivum magneticum *Cnöffelij*. Cujus hæc est descriptio.

℞. *Succini opt. pulv. unc. ß. buffon. siccator: & pulverisat. unc. 1. mistis in cucurbita tantùm spirit. vini superfundatur ut supereminеat digitum transversum, in leni balnei calore sensim exhalet, spirit. ad consistentiam magmatis, ter affuso semper novo spiritu; tandem magma relictum cum emplastro de meliloto in debitam consistentiam redigatur & applicetur buboni. Internè exhibitis semper Alexipharmacis.*

Post hoc eminet Emplastrum magneticum Angeli Salæ.

℞. *Antimon. Crudi, sulph. crudi, arsen. alb. sivè Crystallini aa. unc. ij.*

Subtilissimè pulverisata sepeliantur in phiola in arena & subministretur ignis, donec bene invicem colliquescant, & colorem rubrum

seu

ſeu obſcurum induant (ſic enim corrigitur arſenicum) vaſe refrigeratô exime maſſam, quæ magnes arſenicalis vocatur. Jam

℞. G. Serapin. G. ammon. G. galbani & magnet. arſen. aa. drach.iij. therebinthin. laricea & ceræ aa. unc.ß. terr. vitriol.dulc.drach.1.ol.deſtill ſuccin.drach.ij.

Miſceantur ità: Gummata diſſolvantur in aceto & per pannum lineum trajecta iterum inſpiſſentur: dein ſeorſim colliquata cera & therebinthina extra ignem miſceatur ad conſiſtentiam debitam ungventi: hinc ſupperaddantur Gummata & magnes arſenicalis cum terra vitriol dulci & ol. ſuccini & ſic paratum erit emplaſtrum.

Uſus.

In delicatioribus & quorum cutis rarior eſt buboni applicatur ſimpliciter uſque ad eſcharæ excitationem, in robuſtioribus ex mente *Dimmerbrok* quando incipit errumpere bubo, applicandum veſicatorium poſt 7. vel 8. horam facta veſica aut puſtula aperienda, hinc emplaſtrum magneticum applicandum venit. *Michaëlis ſequens tanquam expertum à ſe recommendat.*

℞ Em-

℞. *Emplastr. dyachil. c. gumm. unc. iv. pulv. fol. uvæ inversæ seu paridis unc. 1. magnetic: arsenicalis unc. ß. cum ol. scorpion & arenarum Mindereri f. Emplastrum.*

Usus.

Ejusdem uti præcedentis. Quod etiam *Excell.* DD. *Physici Wratislavienses* in suo consilio recommendant.

Crato de Peste sequens laudat.

℞. *G. Ammon. in aceto solut. unc. 1. ol. lilior. albor. & ceræ q. S. extendantur ad modum ceroti.*

Usus & virium ferè ùt præcedentium.

Hæc & similia emplastra venenum ex bubonibus extrahunt & exteriùs sub forma escharæ condensant, quæ dein emollienda & ad decidentiam deducenda, vel per impositionem cataplasmatum emollientium super emplastrum calidè, & quàm primùm refrixerit renovando aut *ungventô basiliconis cum theriaca* mixtô & escharæ frequẽtiùs illito ut decidat. Quòd si crustâ primâ factâ tumor non imminuatur, iterum emplastrum magneti-

cum

cum applicandum & nova crusta elicienda, donec sufficienter disparuerit bubo.

Horum Emplastrorum usu, si tumor non dispareat sed major non nihil evadat, atque ad maturationem tendere videatur, tunc omissis attrahentibus ad maturantia deveniendum, ut ad suppurationem citiùs perduci possint, sicque *Indicationi secundæ* satisfiat. Maturationem promoventia sunt Herba *paridis*, *nicotianæ*, *cepæ*, *fuligo* &c. mixta simul instar cataplasmatis & buboni tepide applicata. Idem præstare dicitur radix symphiti majoris sub prunis cocta, cum Mithridatio & butyro in modum cataplasmatis imposita. Item *solæ cepæ* sub cinneribus assatæ & dein contusæ, paucô theriacæ & butyri insulsi admixtô cataplasmatis forma per dies aliquot impositæ. Item *Emplast. diachyl. cum gummat.* & *theriac. aa. part. æq.* laudat *Crato*. *Hildanus* extollit suum emplastrum de buffonibus. *Barbette* utpote expertus Pestis Practicus laudat cataplasma sequens:

℞. *Folior: scord: rut: cicutar. aa. mj. fl. chamomillæ & aneth. aa. p. 1. summit: absinthij p. ij. micæ panis similaginei unc. ij coq: ex lacte vaccino ad consistentiam cataplasmatis, cui adde*

Croci optimi drah:ß. vitell: ovi no: ij. theriac: drach:iij M. f Cataplasma tepidè applicandum buboni.

Dimmerbrok similiter expertus Pestis Practicus laudat hocce cataplasma.

℞. *Rad. Lilior. albor. unc. ij. herb. ruth. malv. & altheæ aa. mj. Scabios. mißs. flor. chamomill. mß. ficus pingv. Num: ix. aq. communis q. S. Coq. S. A. & in mortario minutißimè pistentur addendo tres quatúorve bulbos ceparum, priùs chartâ bibulâ acetô madidâ involutos & sub cinneribus aliquantum assatos, hinc pulv. rad. altheæ unc. ß. stercoris columbini unc. ijß. fermenti panis acidi unc. iß. farinæ tritici drach. iij. His affunde colaturam prædictorum & omnia simul mista coque ad formam cataplasmatis, cuipostea admisceantur mellis unc. 1. ungvent. basilici unc. ß. axungiæ anatis vel ol. scorpion. vel butyri non saliti unc. iß. pro ditioribis interdum etiam theriacæ andromachi pro paupârioribus theriacæ rusticorum nonnihil admiscuit.*

Hoc

Hoc cataplaſmate etiam ſtatim poſt veſicatorium applicatum feliciter uſus fuit: Quòd ſi verò tumor ad maturationem tenderet omiſit attractiva nempe *ſtercus columbinum* & *fermentum*, & ex cæteris ingredientibus habuit cataplaſma maturativum egregiarum virium. Locò hujus cum euphoria etiam uſus eſt ſequenti emplaſtro.

℞. *G. Galbani in aceto ſolut. Emplaſt. oxycrocei, dyachil. cum gumm. aa. unc. 1. M.*

Hiſce remedijs non nihil mitigatus bubo aperiendus venit, atque ut *Tertiæ Indicationi* ſatisfieret, non maturus, ſed ſolùm ad maturitatem vergens bubo, unde vel ſcalpellô ab infrà aperiendus eſt, vel cauterio potentiali applicato exitus materiæ patefaciendus. V.G. ſequens *Ettmülleri.*

℞. *Calcis vivæ drach. j. ſapon. hiſpan.* (Muſitanus recipit ſaponem nigrum ſimplicem) q. S. quæ miſta dant emplaſtrum, quod applicatum foraminulum exedit.

Ulcera peſtilentialia arte vel natura excitata & aperta, citò conſolidanda nunquam ſunt, quandoquidem niſi radicitus fuerit venenum evulſum, maxima damna ſequi ſolent, in-

quit *Hartmannus in Prax. Chym. cap. 97. de Peste.* Itáque

Pro scopo quarto & *ultimo* usurpentur mundificantia & hinc consolidantia. Inter mundificatia maximè eminet insusum *ex rad. aristolochiæ rotund. scordio, myrrh. aloë & croco cum Spirit. vini tartarisat.* factum vel *Balsam. peruvian. Balsam. sulphur. anisatus vel therebinthinatus* mistus cum *ung. basilico & theriaca* & cum lana carpta immittantur in ulcus apertum, imponendo desuper *Emplastr. de minio, alb. coctum. diapompholygos cum ol. nicotianæ:* aut poterit sequens emplastrum *Hartmanni* in usum trahi, quo applicato ulcera non tam citò consolidantur.

℞. *Ceræ lib. j. resin. alb. unc. iiij. therebinth. laricea unc. j. ol. buffonum & scorpion. aa. unc. ij. Styracis liquid. drach. vj. succi chelidon. expressi unc. iv. aristoloch. rotundæ unc. ß. gumm. ammon. in aceto soluti & inspissati unc. i. ß. myrrh. sarcocoll. aa. drach. 1. f. l. A. Emplas.*
oleum Buffonum pro conficiendo hoc Emplastro fit modo sequenti.

℞. *Ol. olivar. lib. ß. ebulliat in sartagine, postea.*

℞. *Buf-*

℞. *Buffones transfossos ligno & aliquantulum suspensos, donec exsiccati fuerint no. viij. vel ix. projice in oleum bulliens, atque ità aliquandiu relinque, postea refrigeratum cola & serva pro usu.*

Dimmerbrok optimo successu usus est, aperto ulcere digestivo sequenti.

℞. *Scord. subtilißimè pulverisati drach. ij vitell. unius ovi, therebinth. venet. mellis, ungvent. apostolor. aa. unc. ß. M.*

Ulcera aliquandiu in suo fluxu conservata & mundificata tandem consolidanda v.g. *Emplastrô stictico* sivè *opoteldoch*, *Hartmanni* cujus hæc est compositio.

℞. *Gumm. Galbani, opopanacis aa. unc. ij. Gumm. ammon. & bdelij aa. unc. j.* Macerentur in aceto per 8. vel 14. dies, quo diutiùs eò meliùs, postea cola & inspissa ad mellis consistentiam: dein

℞. *Lithargirij pulverisati lib. j. ebulliant in ol. olivarum lib. ij.* lento non vehe-

menti igne, semper cum spatula movendo, donec acquirat colorem brunum vel spadiceum; remove ab igne & paulò post adde *ceræ lib. j.* injectam agita donec liquescat, quibus adjice superiora gummata inspissata, & misce ut invicem uniantur debitè. Quando omnia probè fuerint mista adde *olei laurini unc. iiij.* & vicissim diligenter misce. Tandem exempto ab igne adde pulveres sequentes.

℞. *Croci martis, mumiæ, magnetis, magisterij corallor. rubr, & albor. aa. unc. ß. lapid. calaminaris, myrrh. rubræ, thuris masculini, mastichis radicis aristolochiæ rotundæ aa. unc. ij. fiat omnium pulvis subtilissimus, quem pedetentim admisce. Quibus diligenter factis, postremò adde:*

Balsami succini (hoc est ol. succin. in destillat. postremo loco prodeuntis) *unc. j.* & vicissim super igne lento misce, tandem ubi paulatim refrixerint omnia formentur magdaleones cum oleo hyperici & serventur usui. Usus est ùt aliorum Emplastrorum. Alij pro consolidatione utuntur feliciter *Emplastrô diasulphuris Rulandi*, cùm opoteldoch Hartmanni non prostet in officinis paratum.

Su-

Supereſt ut moneamus ea, àquibus Chyrurgus in Curatione Bubonum ſibi cavere debeat. *Primum* eſt nè pro diſcutiendis bubonibus ullô modô acetum applicet, neque pro dolore diſcutiẽdo leniẽdóque opiũ, neque pro ardore fugando ſaturninis utatur, neque pro diſcuſſione mercurius ungventis & emplaſtris huc facientibus addendus, obſervavit enim *Schenkius* indè mortem obortam, ſicut & ab aceti applicatione *Hildanus in Cent. 6. obſ. 30.* Cæterùm internè ſemper cum alexipharmacis & diaphoreticis continuandum.

II. De Parotidibus.

P*Arotides* Germ: *eine* Drieſen oder Eyß / hinter den Ohren Boh: Žlaze neb Baule za Vchem / *eſt tumor adenum parotidum poſt aures.*

Cauſam eãdem habẽt cum bubonibus. *Quoad diagnoſim*, cognoſcuntur ex loco affectò. *In Prognoſi ferenda* dicendum: Periculoſiores parotides eſſe quàm bubones.

In Cura Parotidibus nullatenus attractiva potentiora ſuprà deſcripta ſed mitiora, leviter tantùm attrahentia, aut ſola emollientia imponantur. Idem etiam judicinm eſto de tumoribus thymi aliarumque colli glandularũ.

III. De carbunculis & anthracibus.

CArbunculi & Anthraces Germ: die hitzige Pest-Blattern und Geschwüre. Bohem: Wřed mornj/ *sunt pustulæ pestilentiales, in peripheria corporis hinc indè cum sum̃o ardore, erumpentes, non adeò prominentes sed profundiùs latentes atque duræ, coloris punicei & purpurei; interdum verò etiam partes internas occupantes.*

Avicenna Anthracem distinxit in *pustulosum* & aliqua humiditate vesicante refertum, vocavitque similem *ignem persicum*. Et sinè *pustulis* & absque humiditate, sed durum húncque appellavit *prunam*. *Señertus* adhuc distinguit, quod aliqui sint *benigni*, febribus non malignis accedentes: Alij *maligni* febres malignas concomitantes: Et alij *Pestilentes* ipsã pestẽ subsequẽtes aut à principio se adjungentes.

Causa immediata est eadem cum bubonibus nempè sal acre laxiviale nunc benignum, nunc malignum, nunc pestilentiale, prout à morbo cui jungitur procedit, à natura ad peripheriam corporis propulso & ibidem pro ratione acrimoniæ suæ partes mortificans. *Causæ mediatæ* & externæ, procatharticæ: præter pestilens venenum exteriùs se cuti affigens & adhærens, sensimque cutem mortificans sunt aëris constitutio siccissima sanguinem sero suo pri-

vans & per insensibilem transspirationem dissipans, hinc eundem quasi adurens & sal causticum producens. Cibi nimis aromatici, potúsque generosiores & copiosiores. Motus nimij & violenti, ira & excandescentia oppidò frequentiores, quæ saltèm benigniores carbunculos & anthraces producunt.

Quòad Diagnosim cognoscitur carbunculus ex eo quòd in peripheria corporis aliquæ pustulæ prodeant, plùs minùs albæ, interdum erũpunt cũ colore purpureo & puniceo et circa circũ circulus rubicundus, quasi inflãmatorius, qui melior, aut lividus, et ater, qui deterior, se repræsentat, quibus pustulis perruptis, & liquore septico, acríque lixiviali profluente, partes quas attingit, mortificat, & in ulcus crustosum deducit. Antequam verò pustulæ erumpant, pruritus, dolor, & ardor in parte percipitur. Interdũ sinè pustula cum ingenti ardoris sensu & partis immediata mortificatio se manifestat. Ut autem distinguatur an benignus? an malignus? an verò sit pestilens? nè fortè ex incuria chyrurgi non debitè distinguentis pestis verbalis magìs quàm realis in vulgus propaletur, animadvertere oportet in symptomata, hoc certum est omnem carbunculum à veneno septico excitari, sed benignũ à nimis crudo & crasso; aliqualiter verò exalcato, malignum pestilentem

 au-

autem à ſummè exaltato & volatili; duo præcedentes, cùm effluvia non habeant volatilia non ſunt coinquinantes & contagioſi, peſtilentes verò ſummè contagioſi. Si igitur alia peſtis ſymptomata adſint, & aliunde de contagione ſuſpicio & timor habeatur, atque patiens carbunculô affectus ſummè ſit debilis ſuadente *Folino* ſimilem potiùs peſte interijſſe affirmari debere, ut magiſtratus cautiones neceſſarias & præſervatorias facere in tempore poſſint, quod quia minùs attentum, *Excell. Sorbeit cap. de Peſte* conqueritur, ideò Wiennæ A. 1679. propagatam fuiſſe peſtem quòd peſte laborantes pro non peſtiferis juratis atteſtationibus fuerint declarati, hincque funera publica indulta, per quæ veneni propages major ſuborta. Quòd ſi verò nulla ex alijs accidentibus adſit ſuſpicio peſtis, nec ulla perhorreſcenda ſit naturaliter, atque patiens ſit vegetus aut levi febrili inſultu obrutus, neque ex vicinia conſtet aliquem occubuiſſe hoc malo, neque patientẽ eſſe advenã, quod fortè ex infecto loco ſecum attuliſſet, & quæ hujus generis ſunt plura, ſtatim talẽ non eſſe declarandum peſte laborare, exiſtimamus.

Quòad prognoſim carbunculorum in genere periculoſiores ſunt interni quàm externi. Periculoſiſſimus niger, cui proximè accedit lividus & flaveſcens. Leviores ſunt albi aut ſubcinericei caloris. Summè pernicioſi ſunt, qui

erumpentes denuò retrocedunt. Perniciosior quoque est caudatus rotundô, magnus parvô; Item pejor est qui nervos, tendines, aut juncturas occupat, quàm qui carnosis se insinuat partibus. Periculosiores quoque qui prope partes nobiles & ad emunctoria glandularum nobiliora siti sunt, quàm qui partes ignobiles occupant.

Carbunculus talis quicunque ille sit, nihil aliud est quàm incipiens partis mortificatio. Unde in cura.

I. Mortificationis vicinas partes inficientis progressus inhibendus.

II. Substantia mortificata separanda &

III. Ulcus relictum mundificandum, atq; consolidandum.

Pro primo scopo ulterior mortificatio inhibetur, si erupto frequentiùs *Saphirus* circumducatur carbunculô donec locus fiat lividus, qui progressum egregiè inhibet; & cùm per hanc operationem vires suas saphirus deperdat, suadet *hujusce Antiquissimæ Universitatis & Almæ meæ Matris decus & gloria Excell. Marcus Marci in sua Philosophia vet. rest: S. 5. C. De mag. Saph*, ut aliquanto tempore in terram defodiatur. Pro meliori carbunculi mortificatione, cuspis Saphiri *butyrô antimonij* inungenda erit. Escharæ apparenti in carbũculo applicetur *emplastrum*

ſtrum arſenicale magneticum Angeli Salæ uſque dum exciderit.

Pro ſecundo ſcopo ut cruſta feliciùs ſuppuretur & ſeparetur, apponi & ſuperimponi emplaſtro poterunt cataplaſmata attrahentia & emollientia *ex allio, cepis ſcordio, uva inverſa, althæa, rad. liliorum albor. farina lentium, fimo columbino, ſapone nigro, melle &c.* urgente dolore *emplaſtrum de cynogloſſa* laudatur & *cataplaſma uvæ inverſæ.*

Pro ultima demum indicatione ritè obtinenda ubi ſubſtantia ſuppurata probè educta fuerit, ulcus mundificandum erit, *Ungu: baſilicô, cum emplaſtro tetrapharmaco & theriaca.* Sicut & pro hoc ſcopo proderit *balſamus ſulphuris therebinthinatus & aniſatus, cum oleo fætido tartari.* Pro conſolidatione laudatur cataplaſma *ex rad. ſymphit: majoris* contuſa, aut in lacte cocta & cataplaſmatis forma applicata. *Dimmerbrok* pauperibus & alijs erupto carbunculo ſuaſit apponi *folium braſſicæ rubræ cum oleo raparum.* Poſtea ſtatim, imò in principio etiam ſuppurantibus dolorem mitigavit, & carbunculum curavit. Proin hanc recommendat *pulticulam* formâ cataplaſmatis applicandam.

Rec. Rad. conſolid: major: herb: ſcord: aa. drach. ij. rad. alth. farin. ſem. lini cribra-

bratæ, pollinis farin. tritici aa. unc. ß. fiat pulticula subtilis; cui affunde aqu. communis q. s. Coquantur aliquantùm ut mucilagines solvantur & compositio ad pulticulæ crassioris formam deveniat.

Cui adde.

Mellis, therebinth. unguent. apostolor. aa. drach. iij. picis liquidæ unguenti basilici aa. drach. ij. unum vitell. ovi Croci Scru. i. M. interdum etiam addebantur theriacæ drach. ij.

Usus.

Pulticula tepida extendatur crassius super linteum, bis térve de die applicetur.

Observavit idem clarissimus Author Emplastra non tam optatum præstitisse effectum, si tamen essent in usum ducenda, recommendat *emplas: diachylon cum gumm. vel basilicum vel emplast: de galbano, diachylo: & oxycrocio mista*: pro vulgaribus ait sufficere *picem navalem*. Carbunculô escharáque separata usus est digestivo suo præced. n: ubi de bubon. descripto.

Pro coronide observandum anthraces quò mitiùs tractantur, eò citiùs curantur? Carbunculi quando in summo ardore sunt oleosis minimè utendum esse ob periculum sphacelismi. sed locò horum busso applicatus, aut siccus aut in

vino

vino maceratus proderit quàm optimè. *Theriacam*, utì applicata bubonibus optimos solet præstare effectus, ità à Rhodio in analectis in Mantuana peste, appositam carbunculo plùs nocumenti attulisse observatum fuit. Hinc *Dimmerbrok* in fine pulticulæ suæ addit *interdum* theriacæ drach. ij. & hac ex ratione si animadverteretur nocua esse ut omitti posset in tempore.

Quæstio. *An Vesicatoria in cura Bubonum & Anthracum prosint?*

Rationes dubitandi sunt: quòd vesicantia succum alimentitium partis, vel cruorem ibi contentum, vi sua corosiva transmutent in serosum liquamen, ergo non extrahunt venenum. Quòd vesicantia constent particulis acribus & ità dicendo calidis, quæ magìs febrem adaugere possent, ingredientia enim vesicantium communiter sunt: *cantharides*, *sinapi*, *euphorbium piper*, *&c.* Quæ plurimo sale caustico & exurente ac nimio sulphure imflammabili exsuperant. súntque de venenorum corrosivorum cathalogo, & quia ipsa pestis à sale corrosivo & caustico ùt plurimùm massam sanguineam dissolvente oritur, orietur & bubo ab eadem causa, hinc si simile simili applicatum foret, venenum pestilentiale bubonum magìs exaltaretur quàm extraheretur.

Ad

Ad quas dubitationes respondemus vesicatoria in curatione bubonum statim à principio non prodesse, quia ignis superadderetur igni, unde symptoma insupportabile oriretur, in progressu ubi prominere incipit omnino prodesse, excipe nisì bubo vel fuerit profundus, vel cutis dura, vel tumor durus tunc etiam à principio applicata vesicatoria proderunt, præter vim & facultatem corrosivam obtinent etiam vim attractivam ad extra, adeóque perhorrescenda exaltatio veneni corrosivi bubonis minimè esset, quia aliud est venenum internum, aliud externum, quod hìc nec venenum appellandum sed medicamentum. Sic *Mercurius sublimatus* est venenum, sublimatissimus verò dat ***mercurium dulcem*** medicamentum optimum.

In cura anthracum omnem vesicantium usum ìmprobamus, utì enim ex *Dimmerbrok* adnotavimus, quò mitiùs carbunculus tractatur, eò feliciùs & citiùs etiam curatur.

Hæc pro cõpendio thesiũ nostrarũ sufficiant; plura qui desiderat ex sequentiũ Authorũ libris voluminibus & tractatibus excerpere poterit. In Theoreticis eminet *Venerabilis Pater Athanasius Kircherus in scrutinio Pestis.* Et *Joannes Baptista V. Helmont in tumulo pestis.* Inter Practicos præcipui sunt: *Dimmerbrok* de *Peste*

qui

qui peſtem Neomagenſem in textu deſcribit pulchrè, nitidè, & practicè, in additionibus verò ferè omnia quæ occaſione peſtis moveri poſſent ex varijs authoribus coacervavit. Hiſque adhuc præclariſſimas curationes & obſervationes, peſte infectorum addidit. *Barbette de Peſte. Sorbeit* in diſcurſu germanico de *Peſte Wiennenſi. Quercetanus* de *Peſte. Minderer*us de *peſte. Crato de Krafftheim*, de *Peſte. Sennertus* de *peſte. De Leboe Sylvius* de *peſte. Dobrzenski* de *præſervatorio univerſali peſtis. Sydenhaim* de *peſte. Sacchus* de *febribus & Peſte. Primeroſius* de *Peſte. Ardensbach* de *peſte. Cardilucius* de *Peſte. Plempius* de *Peſte. Grülingius* de *peſte. Unzerus* de *peſte.*

Qui omnes peſtibus interfuerunt & hinc præcipua & in peſte obſervabilia accuratiſſimè adſcripſerunt. Quibus variæ conſtitutiones Peſtilentiales Peſt=Ordnungen accedunt, inter quas eminet Wratiſlavienſis, & D. Schvalbe Pragenſis, atque noviter edita Excellentiſſimi D. D. Pollentij Practici Pragenſis Peſt=Ordnung.

Plures & ſpecialiſſimos de peſte ſcriptores congeſſit & conſcripſit Waltherus in ſua ſylva Medica & Lippennius in Bibliotheca Reali Medica qui videri poterunt.

FINIS.

Errata quæ irrepserunt Lector Benevolus hoc modo corriget.

PAgina 8. linea 19. *dictamus* lege dictamnus. pag. 9. lin. 3. *Dens leg*. Deus pag. 11. lin. 12. *iemplum* lege templum. pag. 12. lin. 12. *somite* leg. fomite. pag. 14. lin. 13. *la Maladieu* leg. La Maladie. pag. 25. lin. 23. *Athraces* lege Anthraces. pag. 28. lin. 8. *fi* leg. si ibid. lin. 12. *Chyrungi* lege Chyrurgi. ibid. lin. 13. *ministera* lege ministeria. pag. 31. lin. 11. *De qua thesis prsenæs* lege de qua thesi præcedente. pag. 33. lin. 13. *Cachomicorum* leg Cacochymicorum. pag. 36. lin. ultima *avida* lege acida. pag. 37. lin. 8. *ab affectu* leg. ab effectu ibid. lin. 9. *perseverent* leg. præservent. pag. 40. lin. 16. *suinde* lege subinde. pag. 46. lin 17. infaciunt leg. infarciunt; pag. 48. lin. 1. *frucida* lege fracida. ibid. lin. 12. *pocudum* lege pecudum. ibidem *carpare dumas* lege carpere dumos. pag. 50. lin. 14. *sptritus* lege spiritus. pag. 52. lin. 17. *putragini* lege patrilagine. pag. 54. lin. 11. *centrahi* lege contrahi. pag. 67. lin. 10. *vevena* leg. venena. pag. 68. lin. 16. *Quæ super* leg. quæ sipet. pag. 71. lin. 1. *in certas* lege incertas. pag. 73. lin. 3. *exarthemata* lege exanthemata. pag. 74. lin. 17. *conidicantibus* leg. coindicantibus. pag. 76. lin. 10. *ab appressione* leg. ab oppressione. pag. 80. lin. 4. *Curativæ* leg. Curativa

pag.

pag. 93. lin. 19. *virorom* leg. virerum. pag. 94. lin. 1. *tales* leg. telas pag. 102. lin. 17. *cont. extr.* leg corticis exterioris. pag. 118. lin. 3. *arnisi* leg. anisi peg. 123. lin. 21. *est est* ommittatur unum est. pag. 137. lin. 10. *Altij* leg. Allij pag. 144. lin. 1. *sutis* leg. salis pag. 145. lin. 5. *abbi* leg. albi pag. 147. lin. 11. *conferimus tertium* leg. conferimus nos ad tertium pag. 149. lin. 1. *in balveo* leg. in balneo. pag. 152. lin. 19. *admovere* leg. admonere pag. 152. lin. pennult. *coagulutivum* lege coagulativum. pag. 153. lin. 3. *debellendam* leg. debellandam. pag. 154. *cnnjstentia* leg. consistentia. pag. 157. lin. 2. *conveniant* leg. conveniunt. pag. 161. lin. 4. *aceca* leg. aceta, pag. 169. lin. 26. *Clandulas* leg. Glandulas. pag. 173. lin. ult. *bubonia* leg. bnboni.




TRAHOVIENSIS*BIBLIOTHE